CIMELIA
Qu 5200



5200
CIMELIA

Cim. Qzz. 5200

W.a.25.

STANISLAI ORICHOVII ROXOLANI, CHIMAERA:

SIVE DE STANCARI FVNESTA REGNO POLONIÆ SECTA.

Attendite à falsis Prophetis: qui ueniunt ad uos in uestitu ouium: intus autem sunt lupi rapaces.



BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE

M. D. LXII.

W.f. 3152

ALBERTI VEDROGOVII

HENDECASYLLABI.

CHIMÆRA

Vr nomen dedit huic libro Chimæræ,
Ic scriptor bonus, artifex peritus.
N regno uidet es Se nunc Chimæras,
Onstros homines, Deum negantes.
Què nam licet omnibus patrare,
Es (quæcunq; placent) satis nefandas,
Quouis sapiente condolendas.

IDEM.

DIscite Pontifices, exemplo Bellerophontis,
Flammiuomum monstrum, tollere de medio.
Sit labor hic uestter, curate fideliter istud,
Ne qua Chimæra sit, in relligione nocens.
Concutit hoc monstrum, sat dura credo securi,
Intrepidus miles, Sarmata grandiloquus.

SACROSANCTO CONCILIO, OECVMENICO, TRIDENTINO.

STANISLAVS ORICHOVIVS ROXOLANVS, SE, SVAQ; OMNIA DICTA, SCRIPTA, GESTA, QVÆ PRAVA, AC RECTA: DIVDICANDA, PVRE SIMPLICITER, ET ABSQ; CONDITIONE SVBIICIT, INFRA SCRIPTO CHIROGRAPHO SVO.



SANCTISSIMI PAtres: ac iustissimi Ecclesiæ Catholicæ iudices, cuius vniuersitatis corpus Tridenti, in sanctorum communione, repræsentatis vnanimes: summa cum remittendorum, & retinendorum peccatorum potestate: habentes in sinu, cõplexuq; vestro, vitam æternam. cuius adipiscendæ, extra vestrũ consensum, nulla facultas vlli datur: en ego à finibus terræ ad vos clamo: dum anxiatur cor meum: ac vobis de media Roxolania, ad Tyrã flumen, (Dnestrum vocãt accolæ) Carpatho mõti subiecta: supplex manus tendo: cum principe publicanorum illo, in conspectu, confessuq; vestro, fraudata compensans quadruplo. Namq; ego honorem [illegible] homini, sed ordini vestro, sæpe detraxi: atq; cõmune vrm patrimoniũ multũ vexaui, dicẽdo

Roxolania.

 in vos,

in vos, quę non oportuit: ſcribendo de vobis, quę non licuit: agendo contra vos, quę non decuit agere, dicere, ſcribere. Defraudaui igitur vos, cũ hæreticis dum coniuro: dicto, ſcripto, facto. In quibus tot, ac tantis damnis, detrimentisq; veſtris, ex autoritate veſtra reſarciendis, nolite, pro indulgentia veſtra, aliud à me expectare velle: præter illud quadruplũ. **Pater peccaui / in coelum coram te:** Vos enim vniuerſi, in vno ordinis veſtri principe PIO IIII, Romano Petro: omniũ noſtrum vnus pater eſtis: à quo patre ego, non tam ætate, q̃ temeritate adoleſcentior filius, ſubſtantiam, pro mea rata parte, acceptam, Lenones Saxonicos ſecutus, cum meretricibus Germanicis, in regione longinqua, & abs te ô pie pater, diſiuncta: cõſumpſi, profudi, abliguriui. Nec ſolum priuatam rem: ſed etiam publicã inibi confeci. Nam, & nomen patrium interea loci amiſeram: Euangelicus, pro chriſtiano vocitatus: & de tanto patrimonio, quod à te pater acceperam, cuius generis ſunt, verbum purum putum: & ſacramentum, ne iter quidem ad ſepulchrũ patrium, gurges, & helluo à te proſcriptus, reliquũ mihi feceram. Vnde eo iam mihi reciderat res: vt in regione illa Saxonica, fame dominante, ſaturari ſiliquis porcorum cuperem, & optarem: quas ſubulcus ille lutulentus, Luterus, in volutabra ingerebat ſuis illis immaniſsimis porcis, Germanię ſanguine ſaginatis: quorum anteſignani, atq; duces hi fuerunt: Caroloſtadius, Pome-

us, Pomeranus, Melanchtõ, Muncerus, Balthazar, Bucerus, Zuinglius atq; Oecolampadius. mitto alios, illius impuriſsimi, periuriſsimiq; ſubulci cœnoſos porcos. Erant autem illę ſiliquę, omni farina caſſę: quibus inferciebamur nos quoq; ſtulti adoleſcẽtuli. Nempe, Cuncti mortales peręquè omnes ſunt ſacerdotes. Nullum ſacrificium eſt Miſſę. Euchariſtia, panis eſt, ac vinum à propola, atq; de cupa. Pœnitẽtia, Confirmatio, vnctio, votum, triſtia ſunt Deo impiorum ludicra. Eleemoſynę, ieiunia, preces, pannus mulieris menſtruatę ſunt. Certitudo gratię Dei erga nos, ſemper prę nobis ferenda: ne qui fortè, ex incertudine gratię voluptatem fidẽtis interpellet peccati obex. Hac ego fœda rerum, ac verborũ, à famelico Lutero, VVittembergę paſcebar ſagina, qui veterum hæreticorum cœno, vt putebat ipſe, ita cãdorem ineuntis adoleſcentię meę imbuebat. Et, niſi Deus, miſertus noſtri, præſentẽ mihi periclitãti porrexiſſet manum: in eodẽ cœno pereundũ mihi fuerat & ipſi, in quo lutulẽtus ille porcorũ Saxonicorũ grex vniuerſus, ab legione dæmonũ depreſſus, atq; demerſus, cum veſtigio interijt. Horum ego itaq; perditorum miſerrimo, acerbiſsimoq; exterritus caſu, reuocaui gradum ab hoc illorum præcipitio: &, receptui canente Eccleſia Chriſti, reſpexi me aliquando, atq; me collegi ex illo ærumnoſo ſectarũ ſalo: quo iactabar adoleſcens, in eum me portum recæpi: quẽ vnum mihi reſtare cernebã tranquillum. ipſius nẽ

 peccati

pe peccati confessionem. quem portũ tutum, & clausum, dum hæreticorum vitant classes: maxima, & miserrima naufragia fecerunt: & ad Sathanę saxa proiecti, fœde perierunt. videbã porro, ô pater, fiducia ingenij: despicientiaq; tui: appetentia autem vanę laudis collapsum funditus fuisse me. Quapropter, vt me erigerem iacentem: ac dissipatum colligerẽ: principio ipso, ingenium, ad malum procliue, damnaui meũ: deinde, te patrẽ eum datum esse nobis iudicaui: qui melius consulere filijs, ac prospicere posses: qua nos ipsimet nobis. Postremo, gloriolam illam, quam spiritus parit malignus, atq; procax: omnem protriui & conculcaui: ac pedibus tuis, totã vt ante, ita etiam nũc subieci. Mitto patrocinium eius: litem prodo: causam defero. Contere tuo arbitratu pater aspidem, & Basiliscũ pede tuo dextero: qui faucibus meis, multum ordini tuo afflabat mali. Conculca leonem illum: quem ego oratorẽ, contra te piscatorem, ex Ciceronis, atq; Demosthenis logodædali, produxerã ludo. Iam nec Draco sophistes, sub laureola inanissimę laudis in me delitescat: qui ex Græcorum sophismatum fœtore cretus, audaci adolescentię meę in scribendo contra te, obrepebat furtim. Duc igitur in altum nauim: laxa retia, sanctissimè piscator, in hanc capturam: & hæc, ex mari veliuolo dictorum, scriptorum, factorumq; meorũ, retibus tuis piscare monstra: prænende: extingue, dele. Macta in me aspidẽ: occide Basiliscum: interfice leonem:

fice leonem: iugula draconem: & purũ putum christianum, simplici fide baptismi contentum, me tibi, ac tuis adiunge: vt sim in ouili tuo, nullam habens meam peculiarem iustitiã: neq; sapientiam, neq; prudentiam, neq; doctrinam. quibus, priuatim, elati nostri parentes primi, se, & nos miseros perdiderunt. Quapropter ab hac subiectione mea præsenti simulatio absit: temeritas remoueatur: malicia facessat: ostentatio sileat. quę, cùm ex opinione ingenij, oriantur mala: hoc vnum his tot incommodis meis remedium esse arbitror: vt sub iudicium tuum grauissimum mea cuncta cadant: vtq; te autore, & magistro iustissimo, sapientissimo, prudẽtissimo, doctissimoq; intelligendi, & viuendi, summis illis bonis, quę commemorauí: in Ecclesia Catholica cum omnibus communiter viuam: particeps per te factus, omnium timentium Deum: & custodientium mandata eius.

VT autem intelligas, quàm me præteritorum pœniteat, pudeat, pigeatq;: mitto ad te confessionẽ meę fidei, quam eandem Catholicam esse arbitror: publicis literis, monimentisq; consignatam. Chimæram insuper addidi, monstrum horrendum, ingens. cui millę nocendi artes: nomina mille. quam ego, patrię nostrę pestem anhelantem: sagittis, de tua pharetra, depromptis: nuper hic in Roxolania confixi pater: quę in Papatum tuum, hoc est in patrimonium nostrum communę, omni impetu irruebat. Rem-

ebat. Rempublicam conuertebat: ordinem ex ea tollebat. & in chaos inordinatum quoddam, cuncta in Sarmatia reducebat. Porro, extincto hoc monstro, illud planũ feciſſe me Sarmatis meis arbitror: vt ſacerdotis vſus nullus eſt, niſi ſeruiat altari: ita regis quoq; vſum nullum eſſe: niſi is miniſtret ſacerdoti. Magnum opus, & arduum, ac viribus noſtris impar. ſed audendum erat contra immanium hæreticorum vim, & impreſsionem. atq; hæc etiam ardua contra illos fuerant tentanda. Qui non prius regna ſe euertere poſſe ſperant: quàm te pater, vnà cum tuis ſocijs, de cuſtodia, vigiliaq; Eccleſię deijciant. Quam autem id rectè, atq; ordine, proq; tua ampliſsima dignitate fecerim: tuũ ſit iudicium: tua exiſtimatio. Surge ergo, ac ſede ô pater: & comede de hac venatione, ab orco in lucem reducis tui filij: vt Benedicat mihi anima tua. Tibi enim ſoli ideo concredita eſt ſumma benedictio, vt cui tu benedixeris: eſſet Benedictus. Cui autem maledixeris: eſſet maledictus. Exoſculor autem beatos pedes tuos: qui ſcabellum pedum Chriſti Dei mei ſunt: ac te veneratus, vt decet patrem: filius ſupplex peto, & quæſo: vt me pro tua autoritate paſtoricia, cum Stãcarana ſecta, tanquam cum funeſta Chimæra, duello coram rege meo commiſſum, aſpicias: ac me benedictione tua cœleſti proſequare, in aciem iam prodeuntem.

REVERENDO PATRI ANDREÆ PRZECZLAVIO, DECANO POSNANIENSI, AC CRACCOVIENSI SCHOLASTICO.

IACOBVS GORSCIVS.

S. D.

CHIMAERAM STANISlai ORichouij, opus diuinū, & ijs tēporibus, cum Ecclesiæ Catholicæ necessarium, tum vero Reip: nostræ salutare, ita vt R. P. tua voluit: & iudicio doctorum subieci: & vehementer ab eis approbatum: vt & maturè & emendate typis excussum, in publicum prodiret: pro mea singulari, et in R. P. tuam obseruantia, & in Orichouiū amore, curaui. Equidem Orichouius, nō alios solùm, quod semper fecit, in hoc opere: sed etiam seipsum, superauit. Nec facile dictu est: vtrum in eo plus studium Ecclesiæ Catholicæ, ac religionis Auitæ defendēdæ: an impetum dicendi, quo in hostes Ecclesiæ fertur: ac rerum variarum & maximarū scientiam admirari debeamus. MAgnum ingenium Orichouij: magna artium magnarum cognitio: tanta vis dicendi, quanta maxima, in homine esse poterit: tantus ardor religionis Auitæ, suū in locū restituendæ: vt hoc ipsius volumen, quod in lucem damus, testatur: quantus in paucis inuenitur. Non horum hoc Diuinum ingenium, temporum est: non huius tempe-

 statis vis

ſtatis vis dicendi: tanta libertas in patrię ſalute, relí-
gioneq; patria tuenda: quanta nec in CRASSIS,
neq; in ANTONIIS illis, principibus Romanis: qui
non modo pignoribus, ſed ne lingua quidē ſibi euul-
ſa: quo minus, vel ſpiritu ipſo, libidines malorū Ci-
uiū, refutarent: ſe coërceri poſſe profiterentur. Nō
terretur Orichouius turba armatorum: non dimo-
uetur cuiusquam gratia, à patrię religionisq; eius,
quam cum materno lacte hauſit, defenſione: tanto
impetu in legum, patrię, religionisq; hoſtes, qui in
viſceribus REGNI huius hærent fertur: quantum
illi, niſi, temeritate illa, qua omnia contemnunt abu-
tantur, nunquā ſuſtinere poterint. Vmbram Stā-
care Orichouij cum tuis illis diſſolutis ſcopis, quibus
religionē Catholicam profligas: ipſe cum tuis cano-
nibus reformatorijs, hinc profligādus, ferre non po-
teris. Nihil præſidij tibi, tua peruerſa malicia: qua
ſcripta SACRA deprauas: & ad tuos ſenſus impi-
os auertis, præſtabit. Impar tibi, Stancare, certamē
eſt: à nobis veritas, à nobis ſyncera & vera religio
Patrū: à te mendacia, à te impietas ſtant: tu in omni
genere eruditionis, ieiunus, aridus, inops: Orichoui-
us omniū bonarum artium diues: omnis eruditiōis,
tam diuinę, quàm humanę refertiſsimus. Tu è lacu
neſcio quo hauris: Orichouius, è fontibus liquidis, ac
vberrimis fundit: Aurum Orichouius purius, quā
tagus voluit: tu fœce ac cœno æſtuas, ille errantes
tuaq; peſte infectos ad viam reuocat, medicinamq;
à te vulneratis adhibet: tu à veritate animū bonorū
auertis,

auertis, atq; ad interitū præcipitas. Tu tuo iudicio omnes condemnas, ac præ te neminē hominem esse putas: nō nisi tui cerebri opiniones corruptas sequeris: Orichouius, tale suum ingeniū, tantam eruditionem, quanta in hominē cadere potest: iudicio omnium bonorum subiicit. Nihil inpublicū absq; autoritate eorū, penes quos est summa religionis christianę potestas, clauesq; Petro à Christo traditę: in manus hominū venire vult. Quę eius modestia, potestatisq; ordinatę obseruantia, summā illā eius vim, & ingenij & Tullianę ac Demosthenicę eloquentię impetum, omniūq; rerum maximarum scientiā, tanquam gēmam, aurū, cui includitur exornat: atq; omnibus gratissimā reddit. Tuas istas fœces sua natura fœdas, temeritas tua, cōtemptusq; non legū modò ac hominum: sed etiam ipsius DEI, fœdissimas, omnibus inuisas, præter eos quorū tu, tua peste sensum infeciſti reddit. Sed te cum tuis hæreticis ac impijs fœcibus, quibus aspergis & fœdas Rēpublicam nostrā mitto: eò vnde digressus sum redeo, atq; ad Chimæra Orichouij (opus et iudicio Doctorū, & re ipsa, vt admirā dū: ita Ecclesię Catholicę cuius autoritas in eo firmis lateribus, maxima vi dicendi, pia cōtentione ac vero illo Zelo, qui christianū pectus effodit defenditur: & Reipub: huic nostrę, cuius saluti cōsulitur: cuius periculis, belloq; illi, cuius classicū tu Stancare inflas, occurritur & salutare & necessariū) euoluendam penitusq; cognoscendam, non eos modo quorū vel maxime interest, tanta propugnacula

Ecclesię ac ordinis sacri tenere, ac vulnerum suorũ medicamenta cognoscere: sed etiam iuuentutem dicẽdi studiosam hortor: non solum ob eam pietatem quam hoc volumen summam spirat: Sed etiam, vt quę sit vis dicendi, quis artis differendi quis maximarum artium & scientiarum vsus: hinc (quod facile fuerit) cognoscat: nec minus quàm Tullianis opibus, ac Demosthenicis dicendi neruis, suam eloquentiam & instruat & confirmet. Imo quis vsus sit eloquentię illius, magnarumq; artium, quę veteribus mirandę fuerunt, in religione tuenda videant: & quem fructum studiorum expectare debeant, cognoscant. SED Pluribus agere nolo, ad tuam P. P. ANdrea Przeczlaui, opus, à quo scriptum accepi, Typis excussum remitto: ac & grauissimo & limatissimo iudicio tuo, iterum illud subijcio: vt ordinata potestate qua in munere Pontificio veteris: partesq; Optimi & Clarissimi Pontificis Philippi Padneuij sustines, comprobatum: in manibus piorum versari incipiat. Vale Princeps Optime, nosq; tui studiosissimos, ac Orichouium alterum in Hæresi profligandæ Herculem, tua beneuolentia complectere, & autoritate tuere. Vale. Datum è Collegio maiori: 17, Calen: Maij. Anno Christi: M. D. LXII.

CRAC:

MELCHIAR PVDLOVVSKI
STANISLAO ORZECHOVIO.

Siue petis manibus calamos, siue ora recludis:
Et calamum dulcem, & ora diserta refers.
Inclyta nam Pallas, Orichoui, & magnus Apollo:
Munere te tanto duxerat esse parem.
Vt posses manibus calamos, atq; ore referre:
Sunt pauci tantum qui meruêre decus.
Græcia grandiloquum duntaxàt magna Periclem:
Et iactat Marcum Roma superba suum:
Quòd fontes poterant defendere fulmine linguæ:
Et poterant trepidos soluere sæpè reos.
Non minus ipse tuas potis est extollere laudes:
Sarmata quisq; bonus: si modò recta sapit.
Defendunt illi uicijs fastuq; nocentes:
Tu populum purgas ecclesiamq; Dei.
Siue igitur calamos laxaueris, atq; diserta
Ora recluseris: ô quàm tua uerba nitent?
Pars stupet altiloquæ donum immortale Mineruæ:
Vtq; cohortanti, desfluat ore Sophos.
Pars stupet ut uariè oppugnas hæc perfida monstra:
A' quibus indignè temnitur ecclesia.
Perfida monstra petis uerbis strictaq; securi
Quæ hîc concussa iacent, arte manuq; tua.
Stancare quem dices qualemúe putaueris illum,
Quem docta en pallas Marsq; superbus amat?
Stancare frustrà tuas obijcis ad prælia uires,
Cassus tu causa, spes tibi nulla manet.
Iuppiter ipse tua hæc Orichoui cœpta secundet.
Intrepidus pugnes, hoc Duce uictor eris.
Non igitur cesset tua sternere castra malorum:
Dura securis, qua monstra maligna petis.

DE RELLIGIONIS IN PO-
lonia mutatę ſtatu. Laurentius Goſliczki.

Hîc, *ubi* Relligio conſtans, pietaſq; manebant:
Vixit & in populo, non temerata fides.
(. Credere quis quondam potuit mutarier iſta)
Nunc uirtus, pietas, exulat atq; fides.
Atq; *ubi ſancta dabat de lege arcana, ſacerdos:*
Furcifer hoc profugus, nunc facit & fatuus.
Quæq; *prius ſacros cogebat Curia patres:*
Nunc decore, & ſacris, deſpoliata ruit.
Singula ſi referam, pereunt pietatis auitæ:
Sacra, fides, cultus, relligioq; ſimul.
Quorum ſi cauſam cupias cognoſcere, librum:
Hunc lege, quem doctus ſcripſit Orichouius.

IN STANCARVM IDEM.

Stancare dic tandem quo te tua gloria ducit,
Stultitia aut quando, deſinet eſſe tua.
Tantanè te cepit temnendi obliuio recti:
Vt te falſa diu, ſic adamare iuuet.
Dicq;, *diu quàm te ludibria ſtulta iuuabunt,*
Aut finem quando, ſtultitia iſta feret.
Deſine Chriſticolas procaci offendere lingua,
Deſinè & hunc populum, conſcelerare Dei.
Si uerò haud ceſſas, ſtrictam uereare ſecurim,
Aptata eſt, collum mox feritura tuum.

Io: Demetrij Solikowski, in ortum Chimeræ.

In *thalamum Faſtus Contentio uênit iniqua,*
Nec mora conceptum uentre recluſit onus.
Prodijt è *Stygijs hinc ſæua Chimera tenebris.*
Ante leo, medio caprea, fine draco.
Aſtu, ui, bello, coniunctis uiribus una hæc
Sarmaticos miſerè depopulatur agros.
Quam *Deus à noſtris peſtem depellito terris*
Inq; Acheronteos oro reconde lacus.
Sed *ſacis ante preces, mittens qui inhibere ſuperbam:*
Chriſticoli poſſit militis arte feram.

GREGORIVS MACER.

MVltifidam Hæretici, & Stancar genuêre Chimæram:
Cuius iam multo tempore flamma furit.
Nunc Deus afflictum quò mundum peste leuaret,
Hæc Orichouio fortia tela dedit.
Ipse quibus totum possit defendere mundum,
Bellerophontea scismata falce secans.
Hæc acies ferri ualida, hæc inuicta securis
Auferet ecce tuum Dira Chimæra caput.
Quiq; diu errores uerbis latuêre politis,
Huius ab eloquio mox retegente cadent.
Surgite Sarmaticæ gentes, animamq; cathenis
Eripite, Hæreticos hocq; fugate Duce.
Sancta Patrum Synodus Tridentùm lecta uenito,
Auxiliumq; Duci iam dato iamq; nouo.
Qui nunc Herculea superum uirtute robustus
Monstra animæ ex sacra relligione leuat,
Pacificat sœuis mentes erroribus olim
Implicitas, puram & sternit ad astra uiam.
Hic gerit exuuias hostis, clauamq; trinodem,
Hydra ferox ista est interimenda manu.
Viue precor longum superis donantibus æuum:
Hæresiomastix, fortis, acute, potens.

De opinione f. 35. V. 9.

IACOB: VANGROVECEñ:

STancarus ut peperit monstrosa mole Chimæram
Extimuit partus protinus ipse suos.
Sarmaticos, dixit, nunc nunc uastabimus agros
Hac duce: quis tantis uiribus obstiterit?
Audijt ista fremens Orichouius, atq; securim
Æratam ualida corripit ipse manu:
Poscit equum, (cœlo delapsus Pegasus illi
Adfuit:) inscendit, tergaq; pressit equi.
Stancare, quis tibi nunc animus? quæ corpore uires?
Victus eris: iamiam Stancare uictus eris.

Wirch

ALIVD IN STANCARVM.

STulte quid exultas? Orichouius ipse Chimæram
Bellerophontæo tollere more potest.



TYPVS CHRISTIANI MILITIS.

At ego BELLEROPHONTES
Sum, qui te hac ſecuri peto
Hac Tuba territo: hac cruce
Crucio, extinguo, deleo.
Vt nil dens, pes, caudaq; obſtet,
Quin te victor ſub Tartara
Mittam: hac victrici dextera,
Cum ſtipatoribus tuis.
Me POLONIA *genuit:*
ECCLESIA *recreauit:*
RVSSIA *dulcis aluit.*
Pro Patria, pro Legibus,
Proq; Religionibus,
Auitis, atq; patrijs,
Paratum uitam fundere. 2



CHIMAERA *ſum Libriuora*
Regnirupa, flammiuoma.
Quos attingo dente, pede,
Cauda, funditus extinguo.
AFRICA *me generauit:*
GRAECIA *propagauit:*
MANTVA *in Polonos miſit*
Exulem: atq; ſui hoſtem.
Mecum eſt exitium uitæ
Mors legum, peſtis regnorum.
Vulpis Arrius, lupusq;
Macedonius, ac urſus
Eutyches, aperq; Neſtor.
Hominum diſſipo cœtus:
In ſolitudine uiuo.
Contemno Secures, Cruces,
Faſces, ſonitusq; Tubæ.

AD SERENISSIMVM ET CHRISTIANISSIMVM Principem & Dominum, D. SIGISmundum AVGustum, IAGellonem, Poloniæ Regem, Magnum Ducem Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæq. &c. Dominum, & Hæredem.

STANISLAI ORICHOVII ROXOLANI, CHIMÆRA: SIVE DE STANCARI FVNESTA REGNO POLONIÆ SECTA.

LEX Mosis est, SIGISMVNDE AVGVSTE, REX: eum, qui homicidam viderit: nec Magistratui fugientem demonstrauerit: reum esse cædis. Contrà hanc legem, ne committam: defero ad Maiestatem tuam, Franciscum Stancarum: plùs quàm Sicarium: plùs quàm homicidam: plùs etiam quàm parricidam. Qui, Mantua ex Italia pulsus: quòd contrà rempub: fecerat: cùm in Poloniam, exul veniisset: mox, primo aduentu, non quoduis membrum: sed collum atq; caput

Homicidij LEX.

caput regni tui, hoc est, Regalem atq; Pontificialem potestatem: percitus hæresi, inuasit. ac libris etiam per Poloniam dissipatis: acerrimè oppugnauit. vt concionibus sediciosè, & populariter concitatis, Pontificialem potestatem si sustulisset: nec Regali potestati tuæ, vllum locum in Polonia relinqueret. vt ita, ociosam vitam apud nos viueret: &, impunitate proposita: sectas è sectis, quas vellet, fereret. Neq; verò ego, pro mea fide, vnum Hæreticum, ad Maiestatem tuam defero: sed, cæteros omnes, eiusdem generis, maleficos, sceleratosq;: qui, aliundè pulsi, in regnum tuum, tanquàm in Asylum, confugiũt. vbi illis, non modò impunè: sed etiam cum summa gloria, liceret viuere. Quos ego tamen vniuersos, veluti monstra quædam, ex dissimilibus, atq; repugnantibus studijs, inter ipsos, conflatos: in vno Francisco Stancaro, Maiestati tuæ, demonstrabo. Nam is, cùm ex omnibus veteribus, & recentibus sectis: omnia Hæreticorum venena delibasset: vnam ex omnibus, fecit hæresim. in qua, tanquàm in speculo: vis, et natura multiplex hęreticorum, cernitur. quę, præter cæteras hęreses, tantò nocentior est: quantò omnes aliæ, simulatione pietatis, infrà Stancaranam hæresim sunt. Nam cæteræ sectæ, apertè, cum Ecclesia, bellum gerunt: hic, pacem simulans, studiosè, omnia contrà Ecclesiam, colligit: &, tanquàm tela, ex veterum hæreticorum pharetris deprompta: in medullis, atq; visceribus Ecclesiæ, defigit. Ex qua etiam

ST Ancari hæresis.

etiam ratione, venit mihi in mentem: Stancari hæ-
resim appellare, Chimæram: quam, à Bellerophonte
fuisse interfectam, tradit Homerus. Stancar enim,
Leonem de tribu Iuda, fronte simulans: sententia,
Draco est ille insidiosissimus: qui nos insectatur: &
calcaneo nostro insidiatur assiduissimè. Et quo-
niàm, vt institui dicere: id monstri genus, Græco-
rum Poëtæ, appellant Chimæram: quæ, antè Leo-
nem, cauda Draconem, media parte capellam præ
se ferret. ab hac nomenclatione, in appellanda Stan-
cari hæresi: quæ, rugit vt leo: lædit vt Draco: fetet
vt capra: discedere nolui. Peto autẽ, à tua Maie-
state: vt, me ditionis, atq; potestatis suæ hominem:
cum Francisco Stancaro, tãquàm Bellerophontem
cum Chimæra: in oculis regni sui, pro legibus, et pro
religionibus decertantem: clementer audiat. Cui,
Stancaro inquam, cùm nullus esset, in sua patria, lo-
cus consistendi: is, in Maiestatis tuæ regno: repentè,
censor morum, lator legum, autor religionum, pro-
dijt. hocq;, sibi amplissimum esse, duxit: Pontifices,
patres regni tui amplissimos, reos idololatriæ, apud
te facere. cùm ipse Mantuæ, baiulus diobolaris, ope-
rariorum esset vltimus. Et quoniàm, hæc illum
impunè agere: quouis homicidio grauiùs est: lege
cum eo agam: &, quod lex Mosis iubet: hunc hære-
ticum, ad Maiestatem tuam deferam. qui, nunquàm
ea, in nostra republica, conari ausus fuisset: nisi, &
Regalem, & Pontificialem potestatem, pariter con-

CHIMAera.

STANcarus exul, censor Poloniæ.

tempsisset: et, nisi Polonicum genus nostrum, in perspiciendis fallacijs hæreticorum, existimasset stupidum esse: & bardum. Et vt, ita rem esse, via, & ratione demonstrem: primùm dicam, de genere Stancaranæ sectæ: deindè, de Regum officio: tùm ad extremùm, de retinenda maiorum religione. Hæc, dùm disputo, & ordine, quo proposui, demonstro: quæso, obtestorq́; : vt, Maiestas tua, quasi in iudicio sedens: ex regali solio, benignum, & clementem se se præbeat mihi iudicem. &, quod eius facio: patriæ dulcissimæ, charissimæq́; causa, me facere: Maiestas tua, existimet. quam, artibus hæreticorum conuelli: & in postremum certamen, atq́; discrimen adduci: ingemiscendum est. Par autem est, in tanto animorum, atq́; rerum motu: pro salute communi, omnes omnia experiri. Neq́; verò, in postrema felicitatis suæ parte, Maiestas tua deputet: in hac tanta tempestate sectarum: quas, in his nouissimis temporibus, excitauit Sathan: etiam equestris ordinis, viros reperiri: qui, contrà immanium hæreticorum audaciam, pro legibus, atq́; religionibus patrijs, præclarè possint consistere. Itaq́;, Deo duce, conscientia teste, Maiestate autem tua iudice: aggrediar ad ipsum Stancari crimen. ac Stancarum, contrà Maiestatem feciſſe, conuincam: quòd is priuatus, rempublicam administrare, in Polonia: fuerit ausus.

DIVISIO LIBRI.

Commo-

COMmodiùs ergò feciſſes, Franciſce Stancare: ſi, quæ apud plerosq́, in Roxolania, de me detraxiſti: ea, vel coràm me præſente dixiſſes: vel, quod ingenuũ decet: ædendis ſcriptis, quę minitaris, refutaſſes. Sed quoniàm adhuc, cuniculis abs te oppugnor: nunc, ſi videtur, in medium prodi: ac latus apertum pete. en tibi ego mei, coràm Maieſtate Regia, facio copiam. Quanquàm autem, res hæc miſera, & calamitoſa eſt: me ciuem, abs te peregrino: ingenuum, à fugitiuo: equitem, ab exule: poſtremò, Catholicum, ab hæretico, in crimen vocari: tamen, ne defugiſſe certamen, pro veritate, contrà falſitatem, videar: libet mihi, comi nùs tecum confere nunc pedem. Ad quam rem, duæ me cauſæ adhortantur. Vna eſt, charitas meorum: qui, abs te capti, è ciuitate Dei, in ciuitatem Diaboli, ſunt traducti. Altera eſt, hęreſeos crimen: cuius tu nomine, eiectus è Mantua, pulſus ex Italia, prohibitus à Germania: nullum alium receptum habuiſti: niſi in ijs noſtris partibus. in quas, irrepſiſſes nunquàm: niſi priùs, ingenium noſtrum contempſiſſes: & niſi, nos ſine rege, atq́ lege, viuere exiſtimaſſes. vt ita, ſublato metu regis, atq́ legis: fraudes, atq́ fallacias hæreticas tuas, impuniùs apud nos: quàm alibi, ſereres. Quamobrem, vt & illos, oratione mea redimam, abs te captos: & te, hominem mobilem, autoremq́ futilem doceam: neq́ autoritate ad te cohibendum, neq́ facultatem ad refellendum, nobis in

CAVſæ libri ſcripti

Polonia deesse,explicabo:atq; excutiam te,tanquàm hydram, ex sinu nostro. ac,simulatione nudatum, constituam te,antè Maiestatis oculos: &,eorum inprimis, qui,posthabitis,reiectisq; maioribus suis: te ducem impietatis, ad occasum, interitumq; patriæ, sunt secuti. quibus,tu fretus:cùm tibi in tua ciuitate, neq; honos,neq; locus esset vllus: repentè,in nostra repub: instaurator morum: restitutor religionum: ac corrector legum,extitisti. nihil veritus Regem: neq; regni reuerens legem. in quo, quantum sit tuum crimen: videro hoc posteriùs. Antequàm autem ad id,quod proposui, aggrediar: maculæ quædam, eluendæ mihi sunt priùs: quas tu mihi, nomini q; meo aspergis de tuo.

Diluuntur obiecta.

Et, ne fortè longior sim: bona tua venia, in medium iam prodeo: & abs te quæro: cuius tandem culpæ,me reum facias? Apostata es: inquies. Quî quæso,Apostata ego sum: quem,in gremio Ecclesiæ Catholicæ,grauiter,constanterq; cernis viuere? At, sacrificulus es, inquis, quo tu verbo meam, vt opinor: à sacrificio,notas abstinentiam. Equidem,do hoc tibi,atq; concedo: me,inter sacerdotes publicos, tantisper sacrificasse:quo ad licuit:&,quo ad fas fuit. cùm autem sacerdos, duxissem vxorem: à sacrificio me funditùs remoui: &, quod Canon iubet: in ordinem redegi. ita,vnus de multis factus,offero nunc Deo,cor contritum: & humiliatum, quod,ne despiciat Deus:

VXOR Orichouij

ciat Deus: supplex, plebe in media, posco. An ego te imitarer arrogantem, atq; contumacem? cui, parùm erat visum: mulieroso sacerdoti, vxorem ducere: cum qua tibi connubij ius, aliter non erat: nisi, si à sacrificio, & à sacris administrandis, abstineres: ni etiam, sacrilegio, statas, solennesq; ceremonias sacerdotij, polueres. atq;, impijs in Ecclesiam, introductis sacris: omnia sacra vetera, vnà cum sacerdotio, ex Ecclesia, exterminares. Hanc, inquàm, ego singularem contumaciam, atq; insolentiam tuam, ad euertendam Ecclesiæ disciplinam, vxore ducta, imitarer potiùs: quàm consuetudini parerem: legibus cederem: deniq;, Canonis præscripto, à sacris vetitis abstinerem. vt, exemplo ex te sumpto: incestu, sacerdotium, scelere verò, matrimonium, contaminarem. præsertim, cùm ita à maioribus edocti sumus: Sacerdoti, post cõsecrationẽ nubẽti, sacra facere ius nõ esse. q; si fecerit: incestũ esse. Vides, atq; adeò animaduertis: si contẽtio quædã, & cõparatio, inter nos, fiat: te, intẽperãter Ecclię labefactasse mores: perfregisse leges: Canones etiã, de medio sustulisse. dùm maxima quæq;, minutis in rebus, includis: ac Sacerdotium cum Matrimonio, præposterè coniungis. quod te facere, vetabat illa Ecclesiæ regula: quæ, in spacio curriculoq; beatæ vitę, ex imo ad summum progredi: non autem contrà regredi, nos iubet. At vide, quàm in mea parte, omnia illa, lex, mos, Canon, salua integraq;, adhuc maneant, vxorem enim ego sacerdos, con-

dos, contrà legem duxi: sed idem tamen, eius legis pœnam sustinui: abrogationem nempè sacerdotij. Hæc enim mulcta sola, sequitur meum factum: legis atq; Canonis prescripto. Qua de re, in Varszauien si Synodo: publicè nuper à nobis est actum, atq; disputatum. Est in manibus, Oratio: in quam te commentarios parare audio. veruntamen, vt sementem feceris: ita metes. Sed ad rem. Cùm factum, Stancare, in ducenda vxore, par sit nostrum: audi, quàm ipsius facti conditio, sit inter nos dispar. tibi enim, in dissensione, ac disidio, per summum Ecclesiæ contemptum, vxor ducta est: mihi verò, summa voluntate, ac iudicio ipsius Ecclesiæ, hæc eadem, est adiudicata. quid ita? quia pœnam legis sustinui: &, quod obedientem decuit: Canonis iussu, à sacris me remoui. tu contrà, & pœnam legis contemnis: & sacris te immisces. si tamen, sacra sunt illa tua putanda: in quibus, profanum fit: quicquid est inter homines, diuini, atq; humani iuris. Quæ, dùm contrà ius, atq; fas, agis, atq; moliris: satis ostendis: te vxorem possidere, non illam: quę, Ecclesię præscripto, in manum viri conuenit: sed hanc, quæ, tantùmmodò coëmptione, vxor viri habetur. cum qua tibi, Ecclesię hosti, non matrimonium, sed contubernium, est: nec, coniunctio vestri, sacramentum: sed periurium esse, censetur. Quicquid enim, extrà Ecclesiam est: peccatum est. Habes, de sacrificio: & de matrimonio, meo, ac tuo: nempè, alterum, quid præstet alteri: nunc vide-

ORATio Varßauiæ habita.

VXOR Stancari.

nunc videamus cætera. Grammatici nomen, obiectum est mihi, abs te, vt probrum: perinde, ac si ego tibi nunc, puerorum elementa, & non bonis artibus incensas faces, admoueam: ac te illis, persequar fugientem: vt nusquam iam locum habeas, contra me consistendi. ita te conscientia transuersum agit: ac præcipitem impellit. Itaq; homo præceps, ac deuius: arripis maledictum ex triuio: ac me, asinum vocas. cùm ipse, vel ob id maximè, quouis asino sis stultior: qui ab imis vnguibus, vsq; ad verticem summum, filios Ecclesiæ, leones esse: non potueris tãdiu cognoscere. præsertim, cùm ab ijs ipsis vexatus, raptatus, laceratusq; sæpe fueris. Quòd si adhuc, insecti vngues nostri, in te conficiendo, quid valeant, non sentis: rugitus leonis illius, de tribu Iuda, cuius Ecclesiam spernis: faxo, vt æstuantem ac tergiuersantem te, aliquando obruat atq; opprimat. vt aliquando condiscas: quid sit, fugitiuum, homines ingenuos, liberaliterq; educatos, inuadere: & in aliena repub: clamosum esse: cùm sis mutus, in tua. immo verò, cùm nullam habeas tuam. Et quoniam ea, quę dixi, vera sunt adhuc omnia: ideo quoq;, iustum est: vt tu, desertor patriæ tuæ, hostis nostræ, quod mox apparebit: veritatis, fidei, iusticiæ, atq; omnis diuinæ, atq; humanæ sapientiæ partes, nobis relinquas. nobis inquam, qui in communione Ecclesiæ Catholicæ, viuimus: & qui mutua charitate coniuncti inter nos, atq; copulati sumus. quandoquidem, Au-

Stãcar refellitur re, nõ uerbis.

dem, Augustino teste, qui habet charitatem, habet omnes virtutes: omniumq; magnarum rerum, atq; artium scientiam. Quòd si nos eiusmodi, in Eccle-
STANcar ecclíæ hostis. sia Catholica, sumus: quid te futurum est: qui, Eccle-siam contempsisti: qui altare, contra altare extruxisti: qui cœtus ipse tuos fecisti: qui tunicam Christi discidisti: qui vetera sacra aboleuisti: noua institui-sti: pœnas legum contempsisti: obedientiam abieci-sti. postremò, religionem patriam, atq; auitam pro-didisti. Quæ, inquam, pœna, tanto facinori, debetur alia? quàm vt periurus & mendax, impius atq; fu-gax, triste semper agites æuum. hasq; parricidij, in Ecclesiam admissi, tanquam alter Caym, pœnas de-pendas: vt à facie vniuersæ terræ eiectus: nusquam habeas, vbi pedem ponas, in tuo: vt ita, periurum te, pœna maneat: diuina, exitium: humana, dedecus.
STANcar contume-lioſus in Orichoui-um. Et tamen adhuc, cùm vbi hæreas contra me, non ha-beas: detracturum te mihi esse asininam pellem, mi-nitaris. ignarus, in Polonia nullos nasci asinos: vt in Italia, nulli nascuntur leones: quibus pelles detra-hantur. Sed, sim asinus, sanè: non tamen Cumanus, certè quidem: quem tu me videri vis. sed ille asinus, ego sum: cui, ipse Christus, clitellas imposuit: atq; e-undem, suorum discipulorum vestimentis stratum, conscendit: Hierosolymam ingressurus. I tu nunc, tantus scilicet gladiator, atq; bestiarius: &, me asi-
Stăcar ăsi-nus. num, Christo subiectum, adoriare: spoliandum. præ-sertim, cùm re uera, Mantuanus sis asinus ille: qui,

excusso

excusso sessore Christo, Diabolo tergum substraueris. qui te, totum obsessum, ac possessum, cum tua familia, ducit, ac tradit Orco. vt ita, tu incultus, & syluestris asinus: quem, Apostolica ritè religauit manus: in impiorum sedem, atq; in sceleratorum regionem, hinc concedas: infra ludam proditorem, parricidij tui, æternas pœnas daturus.

Sed, iam tempus est: vt, absterſis, quasi fuligine, maculis: quibus me passim tuis scriptis aspersisti: vt te vicissim inspiciamus: ac videamus paucis, **Vbi sis. Qui sis. Vnde sis.** his eñ capitibus rerũ, excutiemus sectã, atq; vitam tuã. Proinde, ô tu onager inculte, et indomite: cui, cũ ramis palmarũ, sub Christo Domino Hierosolymam intranti, obuiam à pueris Hosianna concinentibus, proditum nunquam est: tu, inquam, asine, quoniam te æquiparas nobis: caulas tuas, velim mihi ostendas. nam ego tibi, stabula iam demonstrabo mea. Est mihi genitrix Polonia, procreatrix Ecclesia, altrix Roxolania, patria Peremislia: postremò, Orichouianum, est mihi natale rus, atq; solum. Ostendi, breuiter: omnes res nostræ, quemadmodum essent: nunc vicissim, cuiatem te esse dicas: nobis ostendas, velim. Núm Mantua te genuit? at illa, te spurium, atq; subditum in locum alterius, vt agnouit: mox, ex vrbe expulit, exterminauit, eiecit. Núm Italia te aluit? at illa, te ex numero hominum eijciendum: ex finibus humanæ

STANcar excutitur.

Orichouij natio.

Stăcar patria pulsus.

naturæ, exterminandum putauit. Sed tu, hoc loco, ad Ecclesiam Catholicam (credo) quasi in arcem, omnium gentium communem, confugies: vt cùm nullius ciuitatis, neq; gentis sis: Ecclesię tamen respectu, totius mundi incolam, atq; ciuem te esse, possis dicere. At vide, quàm hæc inanis tibi sit gloriatio? Etenim, cùm te Oriens, Occidens, Meridies, atq; Septemtrio, hoc est, ipse orbis terrarum, gentiumq; omnium, vitat: & tanquam auspicium malum, detestatur: quæ regio, quæ ora, quæ plaga orbis erit: quæ te incolam agnoscat: atq; ciuem suum esse dicat? Núm si ad orientem fueris profectus: occidens te sibi vendicabit: aut si meridies repetet: septemtrio suum esse confirmabit: immo verò, ἐσ πώραπαε, omnes te insulæ, portus, prouinciæ, reijcient, abigent, atq; expellent: ac te, in sola terrarum vltimarum, tanquam portentum, cum vestigio exterminandum putabunt: ne contagio tua bonis, vmbraue obsit: Quid ita? quia istorum omnium, cor est vnum: anima vna, & labium vnum: vniuersi isti, vnum atq; idem dicunt. Quid illud est? **Vnus Deus/Vna Fides/Vnum Baptisma.** Quid præterea? **Vnum Ouile.** Quid postremò? **Vnus Pastor.** Hoc ergo vnum, illud est: quod dicunt, & in quo vno, vniuersæ Christianorum gentes, consentiunt. qui vt Deum vnum, ita & ouile confitentur vnum: atq; pastorem vnum. qui sanè pastor, Papæ nomen habet insigne: ad decus, & ad gloriam: quòd pater patrum is sit: dux, &

Stãcar Anãthema.

In ecclesia uera unum omnes dicunt.

PAPA.

dux & signifer ouium Christi: custos pacis, ac vindex cupiditatum: in ipso Christi ouili. quod sanè ouile, ob huius pastoris eximiam præstantiam, Papatus appellatur. ita, vt hæc tria, eiusdem sint rationis, nomina: **Ouile/ Ecclesia/ atq; Papatus.** Quis dicit hoc? vniuersitas, inquam, generis humani: & consensus nationum omnium. Omni autem in re (vt dixit quidam) consensio omnium gentium, lex naturæ putãda est. Quàm autem hoc verum sit, docuit nos, non tantùm Ecclesiæ lex: sed etiam communis vita, vsusq; rerum. An ne hoc quidem sentis, Pij Quarti vocatu, à quatuor Patriarchalibus sedibus, Tridentum ad Concilium, Legatos nunc mitti? Vidimus nuper, Constantinopolitani Patriarchæ, Leopoli in Roxolania, Legatum: qui in Lithuaniam illinc flexit iter, oratum Regem: ne per vos, huius regni funestã pestẽ, optimus Rex, gentem in Roxolania Græcam, à Romana, id autem est, à Catholica fide, patiatur abduci: Atqui Legato illi viro præstanti, atq; Galatiæ Archiepiscopo, è Vilna Tridentum directum est iter. Si ergo edicto Papæ, tantus Patriarcha, euocatus è patria, ita adest: vt is, qui Papæ Romano parere didicit: si idem Alexandrinus, atq; Antiochenus, Patriarchæ faciunt, tres præstantissimi Ecclesiæ Catholicæ præsides, atq; custodes: quomodo Papam eis, præstare negaueris: cuius vocatu, tres dij (vt ita dicam) isti veniunt: non solùm vt soci, verumetiam vt Papæ subiecti? nam, ni ita esset:

PAPatus.

Papæ auctoritas.

nunquam illi ex edicto, neq; ex Decreto Pij Quarti, in Concilium vocati, Tridentum, tanto interuallo, venirent. Sed, valuit apud illos mos: valuit Ecclesię lex: denique, valuit illa, in Petro vniuersis commēdata, vox: **Pasce agnos meos.** Quod, cùm ita sit: quam tu tandem hîc, latebram perfidiæ tuæ, in quā te conijcias, quæres? aut, quomodo Papatum non idem, quod ouile Christi: denique, quod Ecclesiam Catholicam esse, dices? cùm luce palam, videas: ipsum orbem terrarum, atq; adeo ipsas cœli plagas quatuor, edicto Pij Quarti, Tridentum nunc concurrere? Qui Pius, inquam, Papa, Ecclesiæ cupienti, ac vestras, Stancare, hæreses exhorrescenti, tandem aliquando signum dedit: vt qui Ecclesiam saluam, ac defensam volunt esse: Tridentum, ad edictam diem, concurrant. Hæc profectò sunt, non adumbrata, sed expressa signa: Papatum, summam potestatem esse, in Ecclesia sancta Dei. fac enim alius Patriarcharum, atq; Episcoporum, aut etiam Regum, aut denique mortalium omnium, Concilium Tridenti Oecumenicum edicat: aderit nemo. nemo, inquam, respondebit vocatus. Quid ita? quia soli Romano Petro illud dictum est. **Tibi dabo claues. Pasce agnos meos.** Quæ diuinæ, atq; cœlestes voces, quoniam in solo Papa viuunt, vigentq;: ideo edicta illa Romana, quæ ex hoc orbis terrę oraculo æduntur: suapte vi, & natura mouent, & impellunt, atq; inclinant vniuersos homines: ad parendum, & obediendum sum-

Concilium Tridētinū

dum ſummi paſtoris edicto. Transfer hoc (vt dixi) in quemuis aliu m: nihil egeris: neq; profeceris. parebit enim, & obediet inuitus nemo. Quod, cùm ita ſit: doce, quàm tibi cum hoc ipſo Papatu conueniat: vt deinde nos, locum tibi in Eccleſia Catholica, bona cum gratia, aſsignemus: ne vagus, ac deuius, errare ſolus videare, in vita mortalium. Sed tamen intelligo, quàm tibi pulchrè cum Papatu conueniat: & quàm ille cum tuis ſenſibus congruat. Vidi ego enim nuper: ac magno quidem cum dolore, in tuis literis, illa ſcripta ad non neminem, legi: cuius ego reticebo nomen: ne qua, ex tua ſumma indignitate, labes illius dignitati aſpergatur. Meminiſtin' ad quem ex Menſe Februario hęc ſcripſeris: **Doleo te cum Papatu redũſſe in gratiam: nam in Papatu certum eſt ſaluari neminem.** Num fallo te? ſi negas, Chirographo conuincam. Si ergo tibi Papatus idem, quod exitium eſt: quomodo cum Eccleſia Catholica conſentis? aut quomodo in ouili Chriſti, ſedem ſtabilem, & domicilium certum habebis: cùm Papatui tantopere aduerſere? qui cum Eccleſia, & cum ouili Chriſti idem eſt. Itaq; tu amiſſo Papatu, ex ouili Chriſti excidiſti: Eccleſiam item, fidem poſtremò, atq; ipſum Deum funditus perdidiſti: qui, extra Papatum, neq; ſcitur, neq; cognoſcitur, neq; piè colitur. in quo etiam, omnia inſunt ſalutaria remedia: quæ ad vitam piè degendam, & ad ſalutem attinent æternam. In Papatu enim ſolo, via eſt ad vitam

Stãcar hoſtis Papatus.

PAPAtus ſalutaris res.

vitam æternam dispositã: de qua, qui siue ad dextrã, siue ad sinistram declinant: nullam lucem præsentis vitę, nullam spem futurę habere possunt. Hîc enim, ac nusq̃ alibi, purũ putũ Dei viuit verbum: hîc eius verbi sensus viget rectus: hîc omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur ordo, ac modus. Et ne in re nota, & peruulgata multus, & insolens sim: sic habeto. in solo Papatu omnem salutaris vitę rationem rectè, atq; ordine includi: extra quem horrent, squallentq; omnia. ita, vt si Papatum tollas: nihilo plus agas, quàm si solem hunc è mundo tollas. vt ita lateant omnia crassis occultata, & circumfusa tenebris: sempiternaq; nocte maneant offusa. vt ita quasi communi luce priuati, omnibus salutaris vitæ commodis cœci careamus. Ad quem casum, tu nobis documento es: vnde enim horribilis ista cœcitas euenit tibi: vt in clarissima rerum luce positus: inter rectum & prauum, & inter verum & falsum quid interfit, nescias: & tanquam vespertilio, etiam manifestum lumen, noctem putes.

STAncari cœcitas. Sumpsisti in Papatu Mosis legem, quam statim Machometi Alchoranum, egressus è Papatu, reddidisti. Ita Euangelium quoq;, in Papatu tu quidem accepisti: sed eius Euangelij sensum, inde tecum non exportasti: sed ita versutus, & fallax in hoc deprauando extitisti: vt quę sua sponte nota erant, atq; apud omnes peruulgata: incerta, obscuraq; reddideris. Qua

ris. Qualia sunt illa in tuis Canonibus, immo verò in tuis deprauationibus: viuorum cœlestium, qui Deum aspiciat, esse adhuc neminem: Missam ita cantari, vt canitur, idololatriam esse: Illa verba, **Hoc est corpus meum**, pro memoriali quodam accipienda esse: In cœna panem datum, illo corpore cassum, quod postridie demum cruci fuerat affixũ. Prætereo alia mala, nugatoriaq; tua: quæ tu, nisi ex Ecclesia exisses: et nisi ipso talpa extra Ecclesiam cœcior esses: nunquam deprauasses. teneres vtiq;, ac crederes illis adductus verbis: Hodie mecum eris in paradyso. Sanctos Dei homines, diuino aspectu frui: Missam etiam, Titulum esse loquentem: Titulum autem, mutam esse Missam: si verè dici in Papatu intellexisses, aliter illam haberi, quàm habetur, fas esse non diceres. Nam vt Titulum, nisi Hebraicè, Græcè, atq; Latinè, perscribi nefas est: ita Missam, si eam ad Canonem reuoces: nisi eisdem linguis decantari, fas non est. Qua de tota re, in Mediatore nostro, copiosius est contra te disputatum. Iam verò, cùm illa plana, atq; pura verba, **Hoc est corpus meum**, illo tuo, hoc significat, interpretaris obliquè: non satis doces, te sola verba ex Papatu trãsfugam extulisse: sensus autem istorum verborum, in Papatu reliquisse. Nam hæc expositio, quam tu sequeris: non interpretatio, sed deprauatio verbi est. Idem enim, hæc verba deprauando facis: quod faceret caupo quispiam versutus, atq; callidus, qui ad cœ-

Missa cum titulo cõuertuntur.

STAncari cœna.

nam vocatis conuiuis, non vinum quod promisit: sed hederam signum vini, quod dissimulauit: in cauponula compotoribus suis propinaret. huic tu veteratori, similem Christum Dominum facis? qui vt collusisse cœna in suprema nobiscum videatur, corpus pollicitus, signum corporis panem exhibuit: & sanguinem professus, vinum indicium sanguinis nobis propinauit. Hę præstigię atq; fallaciæ, Stancare, vestræ sunt: non verborum vis, & interpretatio. Quę pura, puta verba, ideo vos deprauatis: quia caretis illa luce, quæ illuminat fideles homines: & quę nusquam alibi, nisi in Papatu lucet: splendetq; per se se semper. qua tu orbatus cùm sis: mirum non est, si obtusior sit acies tua: ad hęc etiam verba in Euangelio vsitata, ac trita consideranda. prę sertim cùm pœna omnis, quę oculis tuis debetur: ad cœcitatem mētis sit conuersa. quæ te cupiditate cœcum rapit: & in sensum improbum secum trahit. in quo tibi pereundum est, nisi resipiscis: & nisi ad Papatum redis, ex quo profuisti. extra quem nemini potest esse vita (vt ait Ennius) vitalis. Et quoniam cum Papatu, et Ecclesiam, & ouile Christi pariter amisisti: noli tam sancto, augustoq; Ecclesiæ nomine, ad tuam desperatam fugam tegendam, abuti: noli putare te intus esse, cùm extra proiectus sis: noli mentiri te inter pisces bonos in vasa conditū teneri, cùm foras cum malis piscibus datus, atq; emissus sis. quorum piscium illi sunt pisces pessimi; Arius, Macedonius, Eutiches, atq; Ne-

In Papatu solo lux.

STANcarpulsus ex Ecclesia.

atq; Nestor. ex horum enim tu sceleratorum fraude atq; mendacio, vnum quoddam, tanquam marinum monstrum, concretus es: omni diritate, atq; immanitate teterrimum animal. ita vt etiam hæretici ipsi, quamuis scelerati, & impij: tamen te exæquo omnes horreant: & quasi vnus ex ijs non esses, detestentur te ab se ortum: vt portentum prodigium q; naturæ. Nihil temporis causa fingo, Stancare: habeo enim ex Heluetia literas in te graues: quibus tu ab immanibus illis Hæreticis, Ecclesiæ hostis iudicaris: & tanquam pisces mali ominis atq; nominis, in hoc vasto huius vitæ salo, conuicijs ab ijs iactaris. ita tu piscis nequam, eiectus è sagena cœlestis regni: in hæreticorum plagas incidisti: è quibus nunquam te exues. quin cùm inter Catholicos non sis: ne inter hæreticos quidem tibi vllus iam restet locus. vt ita vndiq; fugatus pulsusq;, ad illos insipientes postremò confugias: qui dicunt in cordibus suis: Non est Deus.

STANcar Hæreticis inuisus.

Et hercle nomine ipso tuo, tanquam coniectura certa, ducor ad suspicandum: te vnum ex illis esse. Grammatici enim certant, & in eo perseuerant: Punicana nomina, maximam partem, Ar & Al, syllaba terminari: vt sunt, Agar, Magal, Amilcar, Annibal, et quę sunt eiusdem modi cætera. Stancar quoq; vocabulum, cum ipsius vocis sono, nescio quid Punicum recinat atq; redoleat: suspicionem affert te non Italum, sed Pœnum esse; Punicana non Christiana

STANcar Arianus.

fide prędítum. & ſi capiendum ex nomine, omen eſt: cùm in Europa nusquam ſit tibi tuta fides, ad Pœnos tibi iam recurrẽdum eſſe intelligo. à quibus ortus fuit autor tuus Arius: homo acutus vt Pœnus: et vt tu, nimis ſtudioſus. qui Alexandria profectus, illa mirifica ſapientia veſtra, Aegyptum primò, deinde vicinas gentes imbuit: Patri (videlicet) conſubſtantialem non eſſe Filium. & cùm veluti in ſacro Cereris curſus lampada, hanc amentiam alijs poſt ſe reliquiſſet, Macedonius exortus eſt in Græcia: qui errore ſuo, Arij errorem cumulans: Spiritum ſanctum infra filium poſuit. Inde profecti Eutiches, Dioſcorus, atq; Neſtor, dogmata attulerũt: quibus tam Filium, quàm Spiritum Filij funditus ſuſtulerunt: ipſi etiam Deo Patri vix, aut ne vix quidem, in rerũ natura aliquid loci reliquerunt. Nam ſi Filius, par ſuo Patri non eſt: nec ſpiritus ſupererit filij, ex patre, filioq; coæquali patri procedens: vt ijs diſſimilitudinis gradibus, in diuinitatem introductis, Deus ipſe Patris nomen ad extremùm amittat: neq; etiam Deus vllus ſit omnino: Nam ſi is, qui alias res facit, generantes ſimiles ſpecie inter ipſas, atq; forma, ipſe nil generabit: quod quidẽ par naturaliter, & illi æquale ſit: genitor non erit, quia non generat: non erit etiam pater, quia carebit filio: non erit Deus, quia non erit omnipotens: cùm careat vi, atq; poteſtate generandi: ac ſimile ſibi procreandi. vt propter hãc ſterilitatem naturæ diuinæ, atq; ſummam illius (vt ita di-

ARIus.

MAcedonius.

Eutiches. Neſtor.

Ariana hæreſis negat Deum.

GEnerare ſibi ſimile, eſt ſummũ in natura.

ſta dicam) orbitatem, Deus pater naturalis nullus habeatur: neq; vocetur. cùm tamen extremum & vltimum bonum in natura ſit: poſſe generare ſibi ſimile. quo bono ſolum carere Deum, dicere: quãta tandem ea fuerit diuinæ maieſtatis offenſio? quantaq; execratio? Qua de re, non ſolùm à Theologis, verumetiam à Philoſophis, copioſè diſputatur. Ac vide, vt iſti quatuor Euangeliſtæ tui, eodem pertineant omnes. Dixit Arius, Filius eſt creatura: Macedonius, Spiritus eſt creatura filij: Eutiches, Chriſtus eſt cœleſte corpus quoddam, ex diuina & humana mixtum natura: Poſtremò, dixit Neſtorius: Chriſtus homo eſt, non Deus. omnium iſtorum, in hoc omnis ſtat error: quòd arbitrantur Deum, neq; generare alium ſibi æqualem Deum: neq; hunc eundem ex aliquo Deo, homineúe generari. Hęc igitur eſt fides Punica: quã Pœni maiores tui in Aegypto primò fundârunt: deinde tota Græcia diſsipârunt: & in vniuerſas Orientis plagas propagârunt. Ex hoc tu fonte, atq; ab hoc principio Punico profluxiſti nobis in Poloniam Pœnulus: agitator Ariani dogmatis, atq; Neſtoriani adiutor. Quid enim tibi vis illo effato tuo, **Chriſtus Mediator eſt ſecundum humanitatem tantum**? niſi vt credamus, Chriſtum hominem purum putum eſſe: qui absq; fine ſit via, in qua poſtremum illud non ſit, in quo viator acquieſcat. quem vtiq; huius vię finem, diuinitatem Chriſti eſſe, affirmat Catholica fides. Quem

Euãgeliſtæ Stancari.

Fides Punica.

Stãcar Neſtorianus.

ſinem viæ, cum huius finis via, exæquãs Auguſtinus, diuinitus illud protulit: Humanitas abſq; diuinitate, non eſt mediatrix: Diuinitas abſq; humanitate, non eſt mediatrix. vt hoc, tanquam eſogio, per te ex Eccleſia ſublato, diuinitate vacuum habeamus Chriſtum. quod quidem olim ſenſit Dioſcorus, atq; Neſtor: neq; enim generare, neq; generari Deum, ab Ario (vti iam dixi) fuerant edocti.

Peremiſlienſe colloquium.

Sed hoc loco, obijcitur mihi abs te Peremiſlienſe colloquium: in quo ais me de Mediatore tecum conſentiſſe. Quid ni aſſentirer tibi, Mediatoris nomen à medio duci: quod inter extrema eſt interiectum. quo ſanè reſpectu, homo Chriſtus Ieſus Mediator humanitate tantummodo eſt. Et quoniam in illo colloquio, quæſtionem attuleras: num peræquè Chriſtus, vt humanitate interiecta, ita diuinitate quoq; intermedia, Mediator eſt. de hoc poſtremo negaui: de illo autem primo tibi conceſsi. Quorſum enim attinebat repugnare vera dicenti: id eñ quod in medio ponitur: interiectum inter extrema eſſe dicitur. Porro illius interiecti extremum, atq; vltimũ, finis appellatur: quo referri omnem intermedij rationem oportet. atq; ita à colloquio diſceſſum eſt. Sed tu poſt tamen, cùm Catholicus ex colloquio abijſſes: repente factus es Pœnus: ac mox redijſti ad tuos. nam per municipia Roxolanię diſcurrens, rumores improbiſsimos diſsipaſti: nempe me hoc tibi dediſſe,

Medij ratio.

Stăcar calumniator

dediſſe, atq; in eo tecum conſenſiſſe: in Mediatore Chriſto, diuinitatem eſſe fruſtra: magnum & impudens mendacium, teſtor coronam illam: in qua diſputatum eſt. vt enim à te nihil de Chriſti diuinitate, in diſputatione adferebatur: ita viciſsim à me, relatum de illa nil fuit. in ſola humanitate, omnis nobis tum ſtetit, & hæſit ſermo. Sed ne tu autoritate mea, aliquos inducas in falſas opiniones tuas, erroresq; turbulentos, ac ſuperſtitiones pene aniles: audi atq; attende, Stancare: quàm me abs te ſegregem. Dico itaq;, ad perſonam Mediatoris abſoluendam, humanitate ac diuinitate peræquè opus eſſe: ratione tamen diuerſa. id quod definitio ipſa Mediatoris apud Ioannem planum nobis facit. Ego ſum (inquit Chriſtus) via, veritas, ac vita. cur via? quia per me itur. cur veritas? quia ad me venitur. cur vita? quia in me manetur. Humanitas Chriſti, eſt via: per quã de poteſtate Diaboli tranſit ad Deum viator: Diuinitas verò, eſt finis viæ eius. in quo tanquam in extremo, atq; vltimo bonorum omnium: idem viator acquieſcit. qui finis, non foris petitur: ſed in via ipſa ineſt. vt in eodẽ ſubiecto atq; indiuiduo, & via, et huius viæ finis intus includatur. Quamobrem, ſi ſeparatim à me requiras: vtrum Chriſtum Mediatorem eſſe Dei & hominum, humanitate tantùm, credam: ita eſſe confitebor. quid ita? quia humanitas Chriſti intermedia eſt: quæ tanquam via, ducit viatorem ad Deum. Rurſus autem, ſi quæras: núm

Orichouij de Mediatore ſentẽtia.

diuinitate

diuinitate quoq; sola, Mediator idem Christus sit? ita esse (dubio procul) profitebor. quid ita? quia diuinitas Christi, finis est defixus in hac via: ad quem tendit viator. Quare, si singillatim respondendum est: ita ad humanitatem solam Mediatorem referã, qua via ille est: vt hunc eundem ad diuinitatem solam refero, qua finis huius viæ, Deus est: At si coniunctim, in communione illa naturarum, vnam & eandem Christi personam consideramus: vnus & idem Christus, via, veritas, & vita, Dei & hominum Mediator est. Hæc est fides mea, Stancare: quam etiam eandem, Ecclesiæ Catholicæ esse existimo. cum qua ego errare malo: quàm tecum benè loqui. si tamen Ecclesia errare potest: quæ columna est: & firmamentum veritatis. quæ in Mediatore Christo, neq; infinitam, sine fine ponit viam: neq; finẽ in hoc eodem viatori præscribit: nulla præmonstrata via.

Fides Catholica.

Quocirca Ecclesia Dei, dum Mediatorẽ Christum ponit: idem facit, quod peritus metator, ponẽda via, faceret. vt enim is, viatori definitam fine mõstrat viam: ac nomine viæ, finem quoq; comprehendit: ita Ecclesia Christi, dum Mediatorem hominem Christum esse ponit: finem quoq; complectitur Iesu Christi nomine: id est, diuinitatem ipsam: quæ inest in Christo homine. At quoniam tu à Mediatoris officio diuinitatem Christi illa vocula, **Tantum**, apertè excludis: nunquam effugies, quin Christum cum Nesto-

Eccliæ de mediatore sententia.

cum Nestorio diuidas: hominemq; illum esse, purũ putum dicas. Nam quòd erroris tui Paulum autorem producis, ex illis verbis: Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: Id contra te facit: ac te Nestorianę perfidiæ, maximopere coarguit. Neq; enim illud tuum improbum, & perfidiosum, **Tantum**/ in ijs Pauli verbis, vsquam apparet: vt pote cùm nihil ad Mediatorem Christum attineat. Paulus enim dilucidè planeq;, homine atq; Iesu, Mediatorem Christum ita circumscribit, et definit: vt hominem ad Christi humanitatem, Iesum verò ad ipsius diuinitatem referat. Porro nomine Iesu diuinitatem notari, vir pius atq; doctus Bernardus, in sermone de Circumcisiõe Domini, infrascriptis verbis testatur: Magnum & mirabile sacramentum: circumciditur puer, et vocatur Iesus. Et infra. Sed agnosce Mediatorem Dei, et hominum: qui ab ipso natiuitatis suæ exordio, diuinis humana sociat, ima summis. Et infra, Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis: & nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat maiestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahę filius: Iesus vocatur tanquam filius Dei. Hæc ille. Ergo Paulus non pro te, sed contra te est: dum Mediatorem Christum, homine atq; Iesu, hoc est, Dei filio comprehendit. Tu verò, dum Paulo illud tuum, **Tantum**/ inijcis: quid moliris, aut conaris aliud: q̃ vt diuinitatem à Christi persona, cum Nestorio fun-

STANCARI Christum diuidit.

Nomẽ Iesus, dei nomen est.

BERnardi uerba.

PAulus refellit Stancarum.

D ditus ex-

ditus excludas? Aut ergo delenda tibi est illa vo-
cula, Tantum/ qua Mediatorem circumscribis: si
rem & sententiam Pauli, tecum facere probas. aut si
hanc voculam Mediatori Christo inseris: confitea-
re Christū diuinitate cassum, atq; inanem te ponere.

ST Ancar blasphem⁹ in Christū

At idipsum te studere, indicio nobis est, de Sa-
cramento altaris tuum, Stancare, commentum. quid
enim queso tibi vis: cùm in sacramento altaris Chri-
stum, ita vt natus ille est, negas adesse prę̄sentem? &
cùm illius corpus certo cœli, quasi locas solio: diui-
nitatem autem eius hîc in terris etiam versari nobis-
cum, & ad sua sacra adesse, non abnutas? nisi ne Chri
stus Deus et homo, vnum quoddam indiuiduum es-
se, à nobis credatur? quam sententiam si in manus
sumas, atq; totam explices: nil nisi fidem Punicam,
quam supra exposui, illam esse dicas. Quid enim re-
fert vtrum dicas, Christus non est vbiq;: an Chri-
stus non est Deus. nam esse vbiq;, Dei est proprium.
quod ẽ vbiq; est, idem Deus sit necesse est: & quod
Deus est, id quoq; necessariò est vbiq;. Ergo si Chri-
stus non est vbiq;, Christus omnino Deus non est.
Hîc tu nolo illam quæras latebram errori tuo: qua
soles, tanquam atramento Sepia, te tutari apud im-
peritos. Christus est vbiq; diuinitate: Christus non
est vbiq; humanitate. neq; enim distinctio naturarū
quæ in Christo sunt, controuersiam facit: vtrùm vi-
delicet diuinitate, an ne humanitate Christus sit, nec

Vbiq; est Christus.

ne sit

ne sit vbiq̃.sed núm illud ipsum indiuiduum,vel potius vnitas illa personę Christi,gemina constans natura:quę de aluo virginali integro castissimoq̃ prodijt: ad tres in diuinitate personas,nullam addiderit agnascendo personam quartam: & núm illud indiuiduum, natum ex virgine, cum patre & spiritu ita vnum sit: vt vbiubi Deus pater & Deus spiritus sit: ibidem in carne sua, adsit natus quoq̃ Deus filius. quòd si alicubi diuinitate eius præsente, de hac humanitas eius abfuerit: sequetur necessariò ex carne ac verbo vnum indiuiduum naturaliter factum nõ esse. aut si vnum indiuiduum illud est, diuina & humana constans natura: vnum è duobus sequi est necesse. aut Deo patri suo diuinitate æqualem filium non esse: cùm illi,haud scio, an præcipua conditio diuinitatis illa desit:esse vbiq̃, vt voluit Arrius. aut hominem illum Deo vacuum esse: vt posuit Nestorius. Quis enim non videt eò rem spectare totam: vt cùm Deus trinus & vnus, hîc in terris etiam nobiscum sit præsens: cœlumq̃ atq̃ terram idem impleat: si humana filij caro cœlò secluſa abfuerit, in terris à persona filij: quin Deus & homo non sit vnus Christus: sed sint duæ personæ. quarum altera, humanitatem Christi in cœlo: altera verò,diuinitatem Christi in terris,separatim contineat. Non ergo verbum caro factum est ita:vt vna eademq̃ vnione, Dei filius vnitus sit animæ & carni: quandoquidem in terris Deus homo non est:ille qui terris excedens

NEStorij secta. clauditur nunc cœlô. Atqui hæc est illa ad vnguem Nestorij secta: qui duas in vna Christi personna naturas diuinitus copulatas, errore diuellebat: ac Deum ab homine separabat: quo mysterium salutis nostræ funditus deleret. Huius tu tanquam alter hæres sententiæ, animaduertisne qualia nam ex Africa tua in Poloniam nostram monstra importaueris primus? vt si iam tantum regnum horum contagione malorum afflictum cadat, quod dij omen obruant: te autore vili, eoq; Pœno cecidisse videatur. vt ita nos Poloni, Stancarana secta cadamus: vt Arriana hæresi Alexandria, cunctaq; Aegyptus, tum vniuersa Græcia cecidit: atq; eius perfidiæ Arrianæ, in teterrima seruitute, horribiles illa nũc dat pœnas.

Stăcar primus in Poloniam Arrianus.

Vtinam verò Stancare, vel ipso tuo nomine, fidem Punicam olfeciſſemus tuam: cùm primùm illam, multis perfidiæ inuolucris obtectam, in Poloniam inferebas: nunquam eas turbas adueniens nobis dediſſes: nunquam in ſummum certamen atq; diſcrimen patriam noſtram adduxiſſes. At cùm nos Opici literaturam illã tuam Hebraicam ſtupemus: cùmq; te patria profugum naufragumq;, regno ac mœnibus noſtris recipimus: ac te in Polonia ſedes, ac domicilium collocare patimur: in impiam & capitalem fraudem illam incidimus. vt non tantùm locum daremus inter nos: ſed etiam tibi erudiẽdam publicè, in nobiliſsimo totius Sarmatiæ Gymnaſio, Cracouiæ

Stăc: Cracouiæ docet.

Cracouiæ pubem traderemus: quasi homini docto, pio item, atq; Catholico viro. Sed simulatio nulla est diuturna. obrepseras enim ad nos, vt vellere suo amicta ouis: verùm oblitus tui, in illo Gymnasio cùm vlulare incepisti: mox te vlulatu ipso lupum esse prodidisti. Redi enim in memoriam, atq; illam diem recordare: qua tu Psalmum illum, **Cum invocarem exaudiuit me Deus. &c.** enarrasti: quid tum egeris, ac dixeris: quæ tua tum ignoratio tui? quæ insciti a? aut quæ impietas fuit? cùm quidem, quasi Gygantum dux, bellum ipsi cœlo, atq; cœlitibus omnibus inferres: atq; omnes de cœlo exturbare conarere. tanta quidem impressione: vt etiam virginem matrem, nec dum in cœlo esse: Christumq; coram intueri negares. et nisi Nicolaus Szadek Gymnasiarchus, Samuelem Cracouiensem Episcopum per literas admonuisset: te non id agere, vt Psalmos interpretarere ex pacto: sed vt Psalmos ipsos fundituS euerteres: in quibus honorem suum Christus cũ sanctis suis apertè partitur: non erat nobis diutius Cracouiæ abs te expectanda, Punica illa vox: **Christus non est Deus.** Itaq; tu eius impiæ fraudis ergô captus, ac Lipouicium in custodiam ab Episcopo illo datus fuisti: vnde postea custodibus precio corruptis, furtim elapsus, Pinczouium, Cracouiẽsis municipiũ oppidum, te contulisti. vnde tanquam ex equo Troiano, innumerabiles viri in nostra repub: omni præstantia virtutis excellentes, prodierunt.

STAnca capitur.

Pinczouieñ familia laus.

hinc enim in Polonia Cardinales / hinc Archiepiscopi, Palatini, Castellani: autores publici consilij, atq; bello duces strenui extiterunt. Hunc ergo tu locum honestissimum, ac reipub: saluberrimum, ausus es hæreticorum primus, contagione sceleris Arriani contaminare. vt quod oppidum, patrum auorũq; memoria fuerat templum pietatis, ac domicilium religionis: in id tu excitatos ab inferis, illos homines veteres, impios, atq; sceleratos, Arrios, Macedonios, Eutichetas, atq; Nestorios, ausus es introducere.

Pinczouiẽ cõuincũtur Arrianismi.

Quàm autem verum sit id, quod tibi crimini nunc do: testis locuples tu ipse es: qui Franciscum Lysmaninum, Petrum Statorium, Martinum Croiicium, ac totam Pinczouianam scholam, Arriani dogmatis insimulas: vt illi te vicissim Nestoriani criminis conuincunt. Atqui rem ita esse: aude negare, si potes. in manibus sunt scripta tua: quibus Arrianismi Pinczouienses omnes reos facis. tibi etiam non alia causa è Pinczouio fuga turpis fuit: præter Nestoris sectam. ob quam tu & oppido, & commercio ab Arrianis illis exterminatus es. Tu, tu inquam Stancare, illas Arrianas faces, iam olim orbis terræ consensu cum Arrio extinctas, in Polonia ab integro incendisti: Tu Macedonium, tu Eutichetem, tu Nestorium: qui aut vnde essent, quidúe profiterentur singuli, Pinczouium docuisti primus. Tu indagator Arrianæ prauitatis: tu autor Macedoniani sce-

STAncar Pinczouium sectis vastat.

ani sceleris: tu propagator Nestorianę execrationis: tu amplificator Zuingliane impietatis, oppido in illo extitisti. & cùm ab hac Punicana hæresi satis scitè instructus, & compositus grassator in illud oppidum inuasisses: quid erat tam sanctum legibus, quid tam augustum religionibus: quod non violasset inibi audacia tua? reminiscere paulisper, atq; recordare: quod nam principium dedisti, illuc aduenienS: mox enim, Punico incitatus furore, in templa irruisti: imagines diuorum sustulisti: memorias martyrum deleuisti: altaria euertisti: sacra profanasti: gazam Ecclesiasticam diripuisti: deniq; sacerdotes publicos ex oppido exterminasti: Postremò, vt tanq; ex Syngrapha, agere, ac rapere nos doceres omnia: Canones reformatorios nobis conscripsisti: quorũ Canonum illa summa est: vt licere nobis arbitremur, vetera patrum instituta, nouis impietatibus permutare: veteres religiones abrogare: nouas instituere: bona sacerdotum diripere: & in illorum locũ alios substituere. Regi non parendum, nisi præscripto tuo imperanti: Sacerdoti non obediendum, nisi iussu tuo Ecclesiæ præsidenti. Hæ sunt leges: hi Canones viuendi, primo aduentu tuo Pinczouij à te conscripti. hoc etiam munus abs te illo in oppido æditum est: dormitantibus Pontificibus, oscitantibus verò Magistratibus. qui dum tibi, furoriq; tuo in illa reipub: nocte tempore non occurrunt: quàm ipsi suo decori defuerint, præsens iam sensit: postera etiã ætas, ne

Cano: editi à Stanc.

Magistratus negligentia.

ætas, nepotesq; nostri, magno suo malo, experiẽtur. Quorum, quę & quanta, Dij immortales, illa de nobis fuerit querela? quòd non eadem hęc illis incolumia, ac salua restituimus: quæ à maioribus nostris per manus tradita accepimus. O' custodiam nostri patrimonij infelicem. O' miseros & ærumnosos posteros nostros, quibus nullam partem sanæ, & salug reipub: gustare, nobis autoribus, licebit.

ST Ancar Pinczouio pellitur.

Sed tamen, cùm te furiam, ex sedibus hærebi vanam, luctificamq; Alecto, homines non prohiberẽt: et tu æquè sacra atq; profana rueres, raperes, ac passim oppido in illo sterneres omnia: Deus ipse, misertus nostri, interea loci diutius te furere noluit: sed ex eadem peste tua, quasi ex Eumenidum sede, excitatos, tanquam Megeras quasdam illas, in te parentem, atq; creatorem in Polonia huius familię Sacramentariæ, Lysmaninum, Statorium, Scebresinum, atq; Blandratam, mitto alios, immisit: qui te, quod furias Tartareas decet, genitorem suum, intestino morsu lacerarent, atq; conficerent. Quo quidem in certamine diro atq; horrifico: idẽ vobis euenit, quod viperis solet. quæ cùm sunt commissæ, imbecilla à valentiore laniatur: vt ita lacerata, ad extremùm communi concedat ex antro: atq; aliud inde petat latibulum, in quo recreetur. quod vobis quoq; vsu euenisse videmus. cùm enim tu impressionem Arrianorum Pinczouiensium non ferres, ac plagas atq;

mortem

mortem metueres: eiectus illinc, in oppidum Ruſsię deuium Dubecium profugiſti. vt ex illa iactatione Arriana, in hoc receſſu, naufragus te potiſsimum reficeres, ac recreares: vbi tibi de tua hæreſi moleſtus eſſet nemo. Cæterum non id agitur nunc abs te: vt veteris perfidię maculas, noua emendatione, interea loci eluas: ſed vt illa conſilia, contra ſalutem Eccleſię dudum inita, per ocium expedias. Itaq; fit magna mutatio loci, non autem ingenij tui: dum te Dubecium è Pinczouio transfers. nam mox quàm illuc veniſti: non tanquam vnus è ſchola declamator, ad clepſydram latras: ſed vt Politicus legislator, leges ad normam promulgas: quibus iuuentutem Regni, deprauas: atq; diſciplinam reipub: noſtrę labefactas.

ST Ancar Dubecium uenit.

ST Ancar legislator

Exhibe quæſo, Franciſce Stancare, exhibe librarium illud legum tuarum: atq; Polonis ſpectandum propone. vt Poloni, ſerò licet, ſed tamen aliquando intelligant: vt tu Maieſtatem huius Regni per ſcelus, atq; latrocinium minueris. cùm homo priuatus atq; alienigena, ea quæ ſolius regis ſunt, in Polonia contra autoritatem, maieſtatemq; regiam, rogas atq; adminiſtras. nam quãtum tandem hoc crimen maieſtatis eſt? quòd hunc Canonem, tanquam machinam ad expugnandam rempub: nobis proponas, infraſcriptis verbis.

ST Ancar maieſtatis reus.

☞ Ex Præfatione Canonum Stancari, ad Maiestatem Regiam.

QVòd si M. T. hoc sacrosanctum, & necessarium officium neglexerit: nobiles tui, qui & ipsi gladium gestant, autoritate diuina, tenentur & debent, Sathanæ & eius religioni ualedicere: atq; Christo, & uerbo eius se totos consecrare. Immò quilibet à Deo mandatum habet: ut inuito etiam toto mundo (in causa religionis loquor) doctrinam Filij Dei amplectatur: attestante uoce illa cœlitus delata, **Hunc audite.** *Vnde Apostoli dixerunt principibus sacerdotum: Obedire Deo magis oportet, quàm hominibus.*

Regis Maiestas læditur.

Anne hoc Canone, illa summa potestas maiestatis atq; imperij, de repub: nostra non tollitur? an non lege Apuleia, immo lege Polona, capitis pœna debetur tibi? qui summum regis imperium, cum subiecta illi nobilitate communicas? Quid enim supererit regi? aut quid iam præstat rex mihi? si lege tua in Polonia gladius omnibus patet: & æquè promptus est mihi & alijs, vt ipsi regi? Atqui hic est ille gladius vester, Stancare: cuius mucronem vos Hæretici in repub: nostra, ita defigere cogitatis: vt illū in Boëmia olim, nuper verò in Germania, atq; Anglia defixistis. vt ad extremùm dissidio domestico, belloq; ciuili exorbeatur sanguis noster: ac iugulis nostris gladius iste vester hebetetur. Sed te ocij & pacis hostem, cum Canone tuo tam lepido, magnus ille, æternis supplicijs, tam viuum quàm mortuum, mactet Iupiter: qui præter Sigismūdum Augustum Iagellonem, gladium in Polonia mortalium alium ferre voluit neminem. Tu etiam Sigismunde Auguste, optime atq; clementissime Rex, quibus oculis

GLADius Hæreticorum.

aspicis

aſpicis hæc? an hęc verborum portenta tuas pacien-
tiſsimas aures non offendunt? En hic fugitiuus, ſum-
mum ius maieſtatis atq; imperij tui: cum tibi ſubie-
cta nobilitate cõmunicat. En gladium nobis in ma-
num dat: gladio ex altera parte reſpondentem tuo.
En viam demonſtrat nobis: qua obedientiam abijci-
amus: nec tibi repugnanti pareamus: cui ſumus ſub-
iecti, omni diuina atq; humana lege. Quo etiam ma-
iore malo mactandus eſt abs te hic Italicus latro: qui
te tam iuſtum, atq; clementem Regem, ab Auis atq;
Atauis in Polonia regnantem: exæquare cum tibi
ſubiectis auſus eſt. Vide atq; animaduerte, Magna-
nime Rex: quorſum euadat iſtorum latronum im-
punita licentia. Gladium hic nobis fabricat contra
te: ſubiectos tecum exæquat: modum nouandarum
rerum nobis demonſtrat: & tamen hic viuit: Viuit?
immo verò viuente, vidente, ac ſentiente te, in tuo
regno quas vult fert leges: & illas nobis præſcribit:
legibus patrijs contrarias. O dij immortales, vbi
nam gentium ſumus: aut quid deniq; ſperamus: ſi i-
ſtius hæc tanta læſæ maieſtatis iniuria, impunita di-
ſceſſerit. profectò enim, vt res ire cœpit, Boëmica,
Germanica, atq; Anglicana: nihil iam nos morantur
fata: quin amiſſa repub: ſine legibus atq; Magiſtra-
tibus, diſsipati hæreſibus, triſte agitemus æuum.

Hæreticorum licentia peribit regnum.

Sed tamen in hoc occaſu noſtro, heus tu ô Stancare:
ſcire ex te volo: quænam te regni lex docuit: nobi-
litatem Polonicam ſuum quoq; habere gladium, re-
gio gla-

In Polonia ſolus Rex gladium portat.

gio gladio aduersum? aut qui Polonus mos fugitiuo tibi ostendit, ius esse nobilitati, semoto rege, nouis rebus studere: & ad summam regni posse absq; rege consulere? Nos enim Poloni, ita legibus atq; maiorum institutis edocti sumus: in Polonia præter regem, autorem pacis, ac uindicem libertatis nostræ, qui gladium portet, esse prorsus alium neminem. Quòd si, qui gladius penes nobilitatem alter est: is in vagina manet conditus: nec prius à nobis educitur: quàm rex sub vexillo signum pugnæ in hostem dederit: ad eundē modum, conuentus agere, et rēpub: gerere, nisi rex autor fuerit, tam non licet: quàm latrocinari apud nos licet nemini. Quapropter, abi tu hinc in malam crucem, malumq; cruciatum, cum gladio tuo, & cum istis Canonibus tuis tortuosis: quibus deprauare Poloniam, & euertere conaris. Nos enim hac lege subiecti nostro regi sumus: vt illo armato vno, nos in Polonia æqualiter omnes inermes simus: ex illo pendeamus: illius autoritate nitamur. deniq; signum ab illo expectemus: quo concurramus, & quid publicè agamus vniuersi. Magnum nomen est apud nos, magna dignitas, magna maiestas Regis: quem vt Dei forma ac specie prędituum miramur, atq; sequimur cuncti.

Apud Polonos magna autoritas regis

Pontifices è Polonia tolluntur.

Sed vide atq; attende, Stancare: quorsum serpat peccandi libido. cùm enim de maiestate Regis tantum detraxisses, quantum libitum est tibi: mox

ad alterum

ad alterum Magistratum euertendum, nempe ad Pontifices ipsos transis. quos cum vestigio è regno exterminas: vt sublato sacerdotio, tollatur etiã summa illa regni lex: quę regio sacramento continetur. in quo est hoc expressum: vt tam Sacerdos, quàm plebs, in ditione regia, & retinendi, & amittendi iuris sui, summam haberet potestatem. Contra hoc Sacramentum facit hic Canon tuus: quo sacerdotes è regno pellis: & bona eorum diripis. vt ita prę Canonibus tuis reformatoriis, citò apud nos omnia ex libertate, in seruitutem concidant. Sed Canonem ipsum audiamus.

☞ Stancari Canon XI.

ET quoniam quatuor sunt. Et infra: Et quoniam nobis non sunt tales Episcopi, quales doctrina Apostolica, & ueterum Canones præscribunt: ideo prospiciemus de alijs: qui non quæstum, non dignitatem regalem, neq; diuitias capientes: sed officium desiderantes, exequantur. Tales enim Episcopos, qui non officium, sed quæstum, sed dignitates mundanas, sed diuitias quærunt: fugendos nobis describunt sacræ literæ. Et infra: Dabimus itaq; operam, ut non nisi idonei ministri eligantur: & nemini eorum citò manus imponatur: sed uiri constituantur boni testimonij, pleni spiritu sancto & sapientia.

Quam tu tandem hoc Canone in Polonia moliris ac struis pestem? aut quantam ad licentiam iuuentuti imperitæ aperis fenestram? nos scilicet, de tui Canonis sententia, Episcopos, hoc est, antiquiorẽ reipub: nostræ partem, è regno pellemus? ac bona illorum diripiemus? quæ ministris abs te in illorum locum suffectis, attribuamus? At ne id fiat, sacramentum Regis obstat; quo se Rex noster regno

Sacramentum Regis uiolatur.

ſuo obligauit illo die: cùm illi Archiepiſcopus Gnezznenſis diadema imponebat. nihilne illud ad ſalutẽ Epiſcoporum & Eccleſiarum valebit? nihil(inquis) ſalus populi ſuprema lex eſto:quę in Idololatria Papiſtica periclitatur tota : ad quam tuendam,Rex ſacramento obligatur nullo. hæc tua ratio eſt. Sed interea,dũ iſtos idololatras è regno pellimus: quos tu tandem pro ijs alios, cœlicolas ſcilicet,nobis ſubſtitues? Eos (inquis) qui dabuntur à me. Sed quis tu es,qui ſacramento Regem in Polonia liberes? qui Epiſcopos, à prima Chriſtianæ fidei origine in Polonia inſtitutos: loco & ordine ſuo moueas? & pro ijs nobis de fugitiuorum tuorum grege,alios Epiſcopos ſubſtituas? qui Eccleſiis præſint:qui primo loco in Senatu ſententiam dicant:& qui regio capiti apicem imponant? hoc nos tantum, tam præſtans, tam eximium munus,ab Stancaro fugitiuo petemus potius:quàm de illius ſacrosãcta manu illud capiemus? cui illud eſt dictum: **Paſce agnos meos.** Quid eſt, Stancare, aliud furere: ſi hoc non eſt , ſummum regni ordinem, omni dignitate ſpoliare: & eam ad humiles,& ad fugitiuos velle transferre? Iam cùm ſacerdotum bona diripienda auidè das plebi:non apertè furis, atq; in noſtra patria baccharis vinolentus? An tu non vinciendus,non loris conſtringendus es? qui hac rapinarum illecebra,ad domeſticum latrocinium , apud nos inuitas imperitam plebem? Næ tu pulchrè iam in Polonia proceſsiſti : Nactus enim es

Epiſcoporum autoritas ĩ Polonia.

STancari furor.

enim es complures nimium dociles ad tuos Canones discipulos: qui pulsis è Parochijs sacerdotibus, diripuerunt patrimonium Ecclesiæ Christi: & per Canonem tuum id sibi licere putârunt: quod ne Regi quidem ipsi per leges in Polonia licet. Nemini enim apud nos vis infertur: nemo bonis multatur, neq; sedibus suis à rege pellitur prius: quàm in communi Baronum regni iudicio, fuerit regi condemnatus. Hac lege satis cõtra vim, etiam regiam, munita sunt sua in Polonia bona cuiq: cùm tamẽ nulla lex apud nos esset: quæ reliqua aduersus vim atq; impressionem tui Canonis, sacerdotum illorum fortunas tutaretur. quin nullo iudice, nulla lege conuicti: iuxta sacris ac profanis bonis suis exuti: rem, fortunasq; suas amitterent. Quo enim in iudicio, aut quo iudice legitimo, quaue lege sacerdotes illi, quorum bona diripuistis: rerum capitalium rei à vobis facti, sunt condemnati? Non fuit vllum de ijs iudicium, Stanicare: non fuit, gladius ille tuus, quem in Polonia primus nobilitati in manum dedisti: iudex sacerdotum illorum fuit: cuius gladij mucro, quàm acer sit, in sacerdotibus experti sumus: in visceribus huius regni, aciem illius, nisi nos Deus respicit, paulò post experturi. Nam si sacerdotes per vim, atq; per seditionem vestram, bona sua in Polonia amittent: quomodo hęc eadem cæteri omnes in dissidio, belloq; ciuili retinebunt? præsertim cùm sacerdotum fundi, eo iure in Polonia sint: quo qui sunt optimo.

Ecclesiarũ bona direpta.

In Sacerdotibus cõmunis uiolatur libertas.

Sed cùm

Sed cùm tu hunc in modum regis maiestatem minueris: sacerdotalem verò autoritatem funditus sustuleris: restat videre, quæ reliqui apud nos summa fiat. vt quantùm tibi præclaro Canonum talium apud nos autori debeamus: liquidius cognoscamus.

☞ Stancari Canon reformatorius XVI.

VT autem tales in Ecclesia ministri, de quibus diximus, haberi queant: constituemus (Deo fauente) scholam puræ & synceræ Theologiæ: cui præficiemus uiros solidè doctos, & uerè Deum timentes. Addemus etiam & linguas, nec nõ et Dialecticen, & Rhetoricen: si Ecclesiarum nostrarũ facultates tulerint. Immò Ecclesiarum thesauros in hunc sacrosanctum usum, in promouendo regnum Dei, bona fide conuertemus. &c.

STAncar scholam condit.

Vt impurus heluo turbat Rempub: Scholam enim Theologiæ hoc Canone in Polonia instauraturum se pollicetur: de Sacerdotum bonis. ô impudentiam animaduertendam. Sed quis tandem Deorum aut hominum, locum tibi in nostra patria assignauit: in quo tu huic scholæ tuæ Theologicæ sedem collocares? quis autem te in nostra patria hominem aduenam, & exulem, inopem, et vagum, opera publica exædificare iussit? aut qui tu es? qui hoc munus in Polonia vsurpes tibi? cùm sit opus vnum Regium, hoc maximè: Gymnasia instituere: scholis locum in ijs deligere: artes probare: quibus iuuentus erudiatur, ad ciuitatis disciplinam. id quod à Wladislao Iagellone, huius Augusti, optimi Regis nostri proauo, clarissimo atq; bellicosissimo rege, absolutũ atq; perfectum est: annis ab hinc plus centum sexaginta. qui

Gymnasia ædificare opus regium est.

ginta. qui Cracouię, in principe totius Sarmatię vrbe, nobilissimum Gymnasium condidit: atq; excellentes ingenio atq; doctrina viros, in illud introduxit primus: qui ad humanitatem huius regni informarent pubem. Itaq; ab hoc initio omnium bonarū atq; magnarum artium disciplina profecta: vsq; ad memoriam nostram in hoc Gymnasio remāsit. tanta quidem vtilitate gētis nostrę, atq; gloria: vt quicquid pietatis, quicquid religionis, quicquid deniq; bonæ frugis in Polonia vsquam est: id vniuersum Gymnasio Iagellano, referatur à nobis acceptū. Ab illo enim fonte atq; capite, profluxerunt in Polonia omnes liberales doctrinæ, & ingenuæ: sine quibus ferum & immane est, quicquid in moribus hominū vspiam est. Quid enim homo ignauus atq; iners aliud est: quàm bustum quoddam, et vt quidam ait, insepulta viui hominis sepultura? Nolo hoc in loco sigillatim harū liberaliū artiū Magistros pferre: qui doctrinis, atq; ingenij laude in illo Gymnasio et olim viguerūt, & nūc florēt maximè. siue tu eruditū pulue rē illū Mathematicorū spectes: siue obscuritatē naturę cōsideres: siue ad legū iurisq; prudētiā animū refe ras: siue Theologiā cogites, nō hanc vestrā, Stancare, ementitā, zelo atq; contentione plenam: sed illam verā: cuius hæc vestra æmula, atq; pellex est. quę Cracouiensium inquam Theologorum Theologia, vt apud Iacobum est, primùm quidem pudica est: deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiēs, plena miseri-

Gymnasiū Cracouiēse

na misericordiæ,& fructibus bonis: iudicans sine simulatione. Huiusmodi scholam, tanquam domicilium quoddam Theologię: ab Iagellone rege Cracouiæ olim habemus conditam. cui tu dum scholam aliam,nescio quam,tanquam æmulam & aduersariam grauem comparas: quid agis aliud, quàm vt opus illud Iagellonis regium vetus,hac tua noua schola,tanquã machina apposita,labefactes,deiicias, atq; euertas? O nos ferreos, qui hæc te conari patimur impunè.

THEologia Stancari.

Sed tamen ô noster Lycurge,quoniam te latore vniuersam rempub: nostram,quasi Penelopes telam retexere iam libet: quam tandem tu in hac tua, quam statuis,Academia,Theologiam traditurus nobis es? eam'ne,cum qua è Pinczouiensi Lycæo,abs te condito,pulsus ac spretus es? At illam Nestorianam esse, Pinczouienses Peripatetici tui, abs te profecti, coarguunt: & hanc eandem Punicanam esse,omnes Catholici conuincunt. Benè igitur habet,cùm tuam Theologiam,quam tu nobis obtrudis, & amici, et aduersarij tui exagitent: vt noxiam illam Epimetei Pandoram: in qua,Dei permissu,ad humani generis pestem,omnia insunt veneficia: atq; omnes doli,machinæ, fallaciæ, præstigiæ veterum hæreticorum, in hac eadem facile deprehenduntur inclusæ. quæ quantò tectior,tantò est nocentior: dum aciem animorum nostrorum illo verborum splẽdore perstringit:

stringit Ecclesia/Concilia/Patres. Sed vt quasi præteriens, hunc fucum quoq; tibi eripiam: si Stanc agnoscis Patres, cum Patribus ad communionem Ecclesiæ consenti: si Concilijs auscultas, Concilia in summo Pastore Romæ constituendo audi: si Ecclesiam iactas, partẽ eius, in qua viuis, desini. rem enim opinor spectari oportere, non verba. Quòd si nulla Ecclesiæ in parte viuis: si summum pastorem Romæ contemnis: si patrum fide simplici ad tuas simulationes abuteris: tam tu Theologus es, quàm est Geometres ille: qui in Geometrica omnibus aduersatur Geometris: dissidens ab ijs in omni intelligentia, notioneq; communi. Omnes enim Theologi, id autem est, omnes Christiani homines pij, ac viri ritè colentes Deum, statuunt esse in terris cœtum aspectabilem hominum timentium ac laudantium Deum, quatuor cœli plagis inclusum, in quo ciuitas est illa sancta Hierosolyma, quatuor patriarchalibus sedibus, sub vno pastore Romano Petro definita, atq; circumscripta. Ab hoc tali cœtu, immo ab hac Ecclesia Catholica, studio ac voluntate, quoniam abhorres: noli mentiri, te in Ecclesia ætatem agere: vel Concilijs parere: vel in patrum autoritatibus acquiescere: cùm & patrum, & Conciliorum, & Ecclesiæ hostis apertè deprehendare. neq; Theologum te esse dicito potius, quàm verorum Theologorum hostẽ. Postremò, neq; Theologiam artem hanc, qua tu te vẽditas, potius, quàm sectam ex vetere turba, & colluuione

Fucus stãcari.

luuione hæreticorum depromptam appelles: vt ita rei atq; verbi, par sit apud te ratio.

Dialectica Stăcari

Sed tamen, vt ad id quod proposui redeam, si fastidimus Theologiam tuam: at Dialecticen (credo) recipiemus. ô ratiocinationem miseram, atq; infelicem. siquidē nos discimus abs te argumenti conclusionem: qui non è fumo (vt ille ait) dare lucem cogitas: sed vt lucem nobis eripias, & quasi noctem quādam rebus offundas, id agis. Legat qui vult scripta tua: nihil in ijs consonum rationi scriptum reperiet. Dij boni, qualibus ac quantis illa tua scatent mēdis: quibus quasi captionibus, & præstigijs circumueniuntur abs te imperiti? Nam cùm ἀπόδειξις, quæ demonstratio Latinis est, sit ratio rei dubiæ faciens fidem: dic per Mercurium ipsum vafrum & callidū deum: quid nam certi, exploratiq; penes te habeas: quo tu rebus apud nos dubijs facias fidem? Et ne longius à Canonibus tuis abeam: rempub: nostram, atq; in ea Ecclesiam te velle constituere, Canonibus tuis ostendis: infrascriptis ad Maiestatem Regiam verbis.

☞ Stancar ex Prefatione Canonum ad Maiestatem Regiam.

STatim à quibusdam nobilibus tuis pijs legtime uocatus fui: ut suas Ecclesias reformarem: & in illis puram Christi doctrinam pro falsa, ac ueram religionis pietatem pro impio cultu idololatrico, restituerem: mores ac disciplinam, tam cleri sui, quàm populorum suorū, corrigerem. hìc statim hos Canones reformationis conscripsi: & reformationem ipsam non temerè sum aggressus.

Quæ ma-

Quę malum est ista argumentatio? à quibusdã nobilibus tuis, ô Polone Rex, priuatim in tuum regnum vocatus sum: ergo vniuersam rempub: atq; in ea Ecclesiam regni tui ego Stancar corrigam, atq; constituam. Quis Dialecticorum argumẽtatus isto modo vnquã est? aut quis ex parte totum, atq; adeo ipsum vniuersum vnquam collegit? Quæ est ista obsecro tua Dialectica: quę nos delirare, non autem argumentari docet? nam quãtùm ad conclusionem huius tui argumenti attinet: demonstrandum tibi prius fuerat: illis ipsis quibusdam nobilibus, à quibus te vocatum esse in Poloniam scribis: licuisse per leges, atq; iura regni, corrigendę reipub: atq; constituendæ Ecclesiæ causa, priuato officio, nulla autem autoritate publica: tantum munus priuatim in Polonia tibi assignare. Quod quoniam non demonstras: incertum dubiumq; facis, vtrũ corrigere, atq; constituere rempub: nostram tibi liceat, nec ne liceat. Pari Dialectices inscitia, laberis in ipsis Episcopis quoq;: cùm illud pro argumento ponis. Paralogismus Stancari.

☞ Ex eadem præfatione Stancari.

Quia quidam Episcopi, abominandam idololatriam defendunt: falsam doctrinam docent: bonis Ecclesiarum abutuntur: Sardanapalicè uiuunt: luxuriantur, scortantur, & inebriantur: corrigi nolunt. cùm sciant, si res ad iudicium delata esset, se causam suam tueri non posse: illico ad maiestatem tuam accusârunt et nobiles illos, & me, cum quibusdam pijs ministris, seditionis autores, ac rerum nouarum amatores. unde, non cognita causa, omnes condemnati sumus: ac negotium reformationis impeditum fuit. Et infra: *Dabimus itaq; operam: ut non nisi idonei ministri eligantur. &c.*

Stăcar cœcus in Dialecticis.

Huius connexi ratio, quàm claudicet vide: vt enim id quod consequitur in connexo, necessarium esse tibi concedam: illud primum quod antecedit,& vnde hoc sequitur,necessarium esse,tibi prius fuerat demonstrandū. dicis enim Episcopos apud nos impuros esse,atq; sceleratos. Quis es tu,qui alienos seruos iudicas? ac principes Ecclesię Dei,patresq; regni amplissimos,incesto ore tuo laceras? quo autem iudice didicisti,omnes Episcopos in Papatu sceleratos esse? Sed fac ita esse: illud dicas mihi velim: quomodo priuatæ vitæ crimen,autoritatem publici muneris in Episcopis minuet? Sed procedat tibi id quoq; illud tamen restat adhuc quęrendū: si Episcopi quos nunc habemus,ex Polonia exterminādi sunt: vnde, aut qua ex gente vel secta,Episcopos nobis alios pro ijs (vt polliceris) substitues? Dabuntur (inquies) à me. Quis porro tanti muneris dispensandi tibi fecit potestatem? quis inquam hominum,aut deorum ille fuit: qui te cum ista potestate ad nos misit? si homo,priuilegium exhibe: si Deus,signum ostende: vt credamus tibi fas esse,pulsis veteribus Episcopis,nouos in eorum locum sufficere. Nam & Moses signū dederat Israheli, antequam sacerdotium instituere Arontis: et Titus Cretēsibus,literas Pauli Archiepiscopi sui exhibuerat prius,q; vel presbyteros,vel diaconos in Creta,ex autoritate renūciaret. At cùm tu neq; priuilegium,neq; signum vllū das: quo tibi hæc tāta apud nos procurare,iusq; fasq; sit: quomodo tu

pro ijs

pro ñs Episcopis quos in manibus habemus, alios nobis substitues: qui iustè ac legitimè, in Polonia muneri præsint Episcopali? Animaduertis, nisi fortè ipso talpa cœcior es: te Dialectica ita nosse, vt cœcus alba atq; atra nouit. vnum etiã addam: in quo, genus quodnam sit Dialectices tuæ, hoc sole clarius apparebit. nam cùm præsentiã corporis Christi ex sacramento altaris, Canone expugnas tuo: hoc argumentum ponis, tam materia, quàm forma ipsa claudum.

Contra sacramẽtum altaris sophisma Stãcari.

Omne corpus naturale, est in aliquo circumscripto loco:
Corpus Christi, est corpus naturale:
Ergo corpus Christi, est in aliquo circumscripto loco.

Non est igitur vbiq;, corpus Christi: neq; in Sacramento, neq; in cœlo vno temporis puncto, illud est. Hîc occurrit illud Flacci: *Spectatum admissi, risum teneatis amici.* Quis enim, non dico Philosophorum, aut Theologorum: sed zonariorum, medius fidius, atq; ipsorum baiulorũ, illud tibi dederit? omne corpus naturale esse in circũscripto loco. præsertim cùm ingentẽ hanc cœli molẽ, corpus naturale, in loco circũscripto nõ esse cernamus. aliter em̃ in rerũ natura, esset infinita in omnes partes magnitudo: quod natura ipsa asperna. Quod cùm ita sit: sylogismus[a] hic tuus in prima figura ex ambabus particularibus ꝓpositiõibus cùm cõstet, facile declarat, quã Dialecticã tu teneas: nẽpe eã, quę aut materia ad argumẽtũ subiecta, aut forma eius argumenti, aut vtroq; semp claudicet: & q̃ ob eã ipsã causã loquax, temeraria, turbulenta, ac seditiosa est: ītegra mutilãs, solida decurtãs, expressa adũbrãs.

Cœli corpus nõ est in loco.

a ꝓpositioneñ ei⁹, cũ i uniuersogñe sit falsa, ꝑticularis locũ teneat necesse ē: alioq; falsũ stãcarus sumit.

DIAlectica Stãcari qualis.

Et ne uer-

Gladio Stãcar ſuo iugulatur.

Et ne verbis tantum acumen tuum laudare videar: explicabo paucis Canones tuos: in quibus mirificus Dialecticus es. Concilia enim œcumenica in Canonibus tuis laudas: vitam atq; mores ſacerdotum, ad Conciliorum normã probas: aduerſus Concilia aliquid noui fieri vetas. Dĳ approbent: habemus adhuc Stancaro patrono Concilia œcumenica ſalua. Sed vide, vt error te, quaſi æſtus quidam, à propoſito abripiat: & in ſaxa latentia in hæreſi tua torqueat. Nam ſi Concilium Nicœnum, ſi Conſtãtinopolitanũ, ſi Epheſinum, ſi Chalcedonenſe, ſi Tholetanum, ſi Agathenſe deniq; apud Stancarum valet: ergo illud quoq; apud eundem valeat neceſſe eſt: in Eccleſia Catholica Romanum Papam principatum tenere. à quo deinde Epiſcopi iſti, quos nunc habemus, & cæteri ſacerdotes publici, in ſacerdotio proſluerent. Quis dicit hoc? ipſa, inquam, Concilia: quę tu contra Epiſcopos noſtros vltro citras. Non igitur Papa idololatra, neq; Epiſcopi noſtri pellendi, ſpernendiq; ſunt: neq; alĳ pro ĳs accipiendi à nobis ſunt: cùm tam apertè Conciliorum œcumenicorum decretis, & Papæ, & Epiſcoporum noſtrorum præſtantiſsima conſtituatur apud nos autoritas. Quò te hîc vertes, ô Pœnule? aut quod atramentum effundes, ô Sepia: vt nos inſtantes effugias? Nam in quamcunq; partem te verteris: dandæ tibi manus omnino ſunt. Si enim Concilia œcumenica apud te valent: Papatus etiã ipſe valeat neceſſe eſt. qui Conciliorum

ciliorum œcumenicorum ſæpe munificẽtiſsimis de-
cretis honeſtatus eſt: ac certis ſacerdotij gradibus,
quaſi ſtellarũ ſplendidiſsimis globis, ab eisdem Con-
ciliis eſt diſtinctus, atq; illuſtratus. Contra verò, ſi
Papatus apud te idem, quod nihilum eſt: neq; Con-
cilia etiam aliquid apud te erunt: in quibus omni-
bus princeps ſemper fuit Papæ autoritas. Sed dices *Concilio-*
fortaſſe, id quod etiam in colloquio noſtro Peremi- *rum ſum-*
flienſi cùm dixiſſes: riſus omnium factus fuerat ma- *ma fides.*
ximus. dixeras enim te non plus Conciliis tribuere:
quàm fides Catholica poſtulat. perinde, quaſi Con-
cilia œcumenica aliter ſentiant: quàm fides Catholi-
ca poſtulat. In quibus id agitur, vt omnia ſalutaria
communibus ſententijs, conſultisq; decernãtur: qui-
bus Eccleſiæ continetur ſalus. Verùm tu amiſſa
Eccleſia Catholica, cùm vnà quoq; generales ſenten-
cias amiſeris: ſingulares perſequeris. &, quod pecu-
liare omnium Hæreticorum eſt: tam ex ſcripturis,
quàm ex Conciliis, atq; patribus, omnes vndiq; ſen-
tenciolas ſyllabatim conquiris, carpis, atq; delibas.
eas autem maximè, quæ ad iurgandum pro te, con-
tra æmulos faciunt. cùm tamen nihil tam reſiſtat, &
repugnet tibi, quàm ſcripturarum patrumq; autori-
tates: ſi ita vti ſunt, pleno atq; integro rerum, atq;
verborum ſenſu abs te proferantur. Sed tamen,
quantùm ad Conciliorum fidem attinet: non vide-
tur tibi Cõcilium œcumenicum idem eſſe, quod ar- *Concilium*
bor frugifera, & fructuoſa eſt? Decreta etiam Con- *arbori ſi-*
mile.

G ciliorum,

ciliorum, non similitudinem quandam gerunt, speciemq; fructuum? ita opinor. Ergo, vt arbor bona bonos fert fructus: sic bona Concilia, bona ferant decreta necesse est. Quòd si Concilia decreta ferunt viciosa: Concilia quoq; ipsa, vnde hæc manant, flagiciosa sint oportet. non secus, quàm si fructus mali sunt, arbor quoq; eorum fructuum mater, mala viciosaq; sit necesse est. Quare caue tu in Concilio œcumenico verum falso, ac bonum malo: hoc est, tenebras luci, arte hac tua admisceas. Nam tibi aut totum Concilium, cuius partem vsurpas, comprobandum est: aut si partem eius reijcis, totum Concilium funditus est reijciendum. Etenim si spiritu Dei illa Concilia, quorum tu autoritate cõtra Episcopos nostros niteris, & acta, & transacta sunt: nulla societas in ijs fuit, neq; communitas spiritui vestro nequam: quo partes vestræ non tam fiunt, quàm subito exortę ad nihilũ recidunt: et quasi fumus tumidus, et turgidus, & in ventum dispersus, cũ vestigio euanescũt.

Spiritus hæreticorũ qualis.

Quamobrem, si Conciliorum fide cum Episcopis pugnas: eadem autoritate te conuictum esse hæreseos crimine, ab Episcopis nostris, confiteare. ac publicis execrationibus pesti futuræ deuotum, pulsumq;, & eiectum ex Ecclesia Dei. Quid ita? quia in Constantinopolitano Concilio œcumenico primo, ita in vos hæreticos extat perscriptum.

Stãcar hæreticus ab õnibus Cõcilijs condemnatus

αἱρετικοὺς δὲ λέγομεν, τοὺς δὲ ἐπάλαι τῆς ἐκκλησίας ἀποκηρυχθέντας: καὶ τοὺς

καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα ὑφ' ὑμῶν ἀναθεματισθέντας. πρὸς δὲ τούτοις, καὶ τοὺς τῷ πίστιν μὲν τῷ ὑγιῆ προσποιουμένους ὁμολογεῖν, ἀποχίσαντας δὲ, καὶ ἀντισυνάγοντας τοῖς κανονικοῖς ἡμῶν ἐπισκόποις. ἔπειτα δὲ, καὶ εἴ τινες τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐπί ἀιτιάις τίσι προκατεγνωσμένοι. ἢ ἀκοινώνητοι εἴτε ἀπὸ κλήρου, εἴτε ἀπὸ λαϊκοῦ τάγματος, μηδὲ τούτοις ἐξεῖναι κατηγορεῖν ἐπισκόπους. πρὶν ἄν τό οἰ κεῖον ἔγκλημα προτερον ἀποδυσωνται.

Hoc est. Hæreticos appellamus, tam illos, qui olim ex Ecclesia proscripti sunt: quàm eos, qui postea à nobis excommunicati sunt. Insuper eos, qui fidem quidem sanam simulant se profiteri: separant se tamen, & contrarias coitiones faciunt, aduersus nos regulares Episcopos. Præterea, si qui ab Ecclesia criminibus certis dudum conuicti, & excommunicati sunt: siue clericalis, siue laicalis ordinis illi fuerint: ijs nullo modo liceat accusare Episcopos prius, quàm ex proprio crimine emerserint. Hæretici hominis definitio

Audis Stancare, quàm apertè hac ipsa definitione Concilij teneare: qua tu in hæreticos relatus, & tribu Christiana motus, communi suffragio ex piorum cœtu pelleris: & alienus Christiano Cathalogo esse iudicaris. Nam & cum Nestorio contra diuinitatem Christi consensisti: & fidem sanam neglexisti: et à Catholica Ecclesia te separasti: & aduersum legitimos Episcopos coitiones fecisti: & infinitis criminibus conuictus, ex Italia proscriptus, confiscatus, ac pulsus fuisti. Et tamen his tu tot ac tantis sceleribus obstrictus, ac nefario Ecclesiæ, tanquam patrię parricidio, obligatus cùm sis: in medium clericus infamis, contra legitimos Episcopos tuos prodis. vt tanquam improbus & impurus filius, parentes tuos nõ solùm accuses, sed reos etiam maiestatis facias prius: quàm te de ijs tot, tam claris, tamq; manifestis criminibus, apud Episcopos tuos legitimè purgaueris.

Vides'ne ô furia: vt collum in eosdem laqueos vltrò inseras, quibus Episcopos nostros præceps, ac deuius captas? prius enim quàm Episcopos autoritate Conciliorum peruertas: ipse luculentam ac mortiferam plagam accipias: quam tibi Concilia ipsa imponunt insanabilem. Ita sorex indicio suo perit: ac stultus suo, quemadmodum dicitur, gladio conficitur.

ST Anear Orator qualis?

Sed tu in Dialecticis, quàm Sophistes argutulus sis, satis superq; vidimus: nunc in Rhetoricis vi-ciisim, quantus Orator sis, videamus paucis. Vis'ne igitur te Oratorem, ex ipsa definitione Oratoris spectemus? ita opinor faciendum est. Itaq; ἠθως Græcis, Orator Latinis, à Fabio dicitur esse vir bonus, dicendi peritus. Tu vir bonus es, quem Mantua è ciuitate eiecit, tanquam abortum? quem Italia vt hostem patriæ exterminauit? cui nullus intra Oceani ostium, neq; apud hæreticos, neq; apud Christianos, locus est consistendi? Si igitur omnes mortales acerbè, & penitus te oderunt: quomodo summè iniustum te non esse defendes, in tanto odio atq; dissidio?

Stăcar iniustißimus

Habet enim hoc iniustícia: vt eum etiam hominem in quo inest, non modò alijs, sed ipsum sibi inuisum faciat. Quòd si tu iniustus, quomodo vir bonus es: detracta opinione probitatis? quę probitas (inquã) iustícia constat: à qua tu alieníssimus es? non reddis enim vnicuíq; quod suum est: aliena etiam arrogas, et tibi concedi postulas, nam homo priuatus, & ali-

enigena

enigena cùm sis: accipis tamen Magistratum in Polonia prædæ loco: in quo te insolenter iactes: atq; in eo curationes, et quasi dispẽsationes regias, atq; Pontificias administres. nam in Polonia, ad summam rerum consulere, Regium est: religionibus verò præesse, opus est apud nos Pontificium. Quod quoniam ab iustis magistratibus auertis, et in te priuatum et exulem transfers: quæ iniusticia capitalior poterit hac vna reperiri? Iam cùm nulli præposito ordinis tui legitimo subiectus sis: nulli potestati in Ecclesia sublimiori pareas: postremò, nullũ pastorem agnoscas: sed sis vnum indiuiduum quoddam vagũ, errans, ac vitam communem perturbans, leges perfringens, conspirationem bonorum labefactans: seruos in dominos, subiectos in præsides, & optimum quemq; incitans, & inflammans: potes'ne tantis in facinoribus sceleris & perfidiæ, viri boni nomen retinere? homo igitur nequam, & improbus cùm sis: illa facultas, si quam fortè habes, minimum ipsa per se in te valet, semota iusticia.

Sed fac valere te dicendo: perge ergo tenere istam viam dicendi, quam instituisti: & quasi ex altiore loco, ad præscriptum tuorum Canonum, reformationis tuæ causam, Rhetoricè apud Polonum Regem exaggera. apud quem si verè agere voles, hoc dices.

☞ Audiat hæc Rex: ac sensibus imis, res est non parua, reponat.

Medulla Canonū Stancari

EGo sum Stancar ille, Sigismunde Auguste Rex: qui pulsus ex mea patria, tuorum nobilium quorundam uocatu: me ad te in Poloniam exul potissimum ex Italia contuli. quòd uidebã, nisi ego corrector ciuitatis in tuo regno accessissem: Poloniam, scelere Pontificium incitatam semel, in procliue lapsuram fuisse. Ego remedium præsens ægrotæ, ac propè desperatæ Poloniæ affero: atq; ijs Canonibus, quos tibi exhibeo, illi subuenio. Quæ ut reficiatur collapsa, primò duobus illi ad eam rem opus est gladijs. Vnus est, quem tu gestas: Alter uerò, penes nobiles tuos esse debet: quo illi ad summam regni utantur, gladius in munere Regio si cesset tuus. Deinde, pestis ac pernicies regni tui, Pontifices, agris atq; urbibus sunt abs te primo quoq; tempore exterminandi: & cum uestigio ex Polonia tollendi. Sunt enim exitium regni tui, hostesq; Dei: corrigi à me nolunt: nec me correctorem ferunt. qui tibi pro ijs impuris & sceleratis, offero de secta classeq; mea alios, Pontifices te dignos: ac regno tuo ministros idoneos. Quos ut mecum unà sustentes, nulla te horum idololatrarum capiat misericordia: quin Archiepiscopatus, Episcopatus, Canonicatus, Abbatiæ, Præbendæ, Parochiæ, ac quicquid sacerdotiorum, ac uasorum sacrorum etiam in sanctiore ærario templorum est, diripiatur: & mihi correctori, meisq; scholis atq; ministris à me tibi datis attribuatur. uti nos ijs rebus satius est, qui Apostoli Christi sumus: quàm eisdem abuti eos, qui idololatræ in tuo regno sunt. Nulla res te deterreat, quo minus id fiat: non Priuilegia uetera Regni: non mos maiorum: non sacramentum quo te obligasti. omnia ista cedant Canonibus meis reformatorijs, ex puro puto uerbo depromptis. Nihil te laurea illa, regalisq; apex atq; diadema solicitet: quod more uetusto, Gneznensis Archiepiscopus capiti imponebat tuo. hæc enim nugalia Papistica sunt omnia: unctiones inquam, Coronationes, atq; regum ipsorum apices, in Papatu excogitata: ad infatuandos reges glorioſos. Nusquam enim habetur scriptum, illo apice, atq; illa unctione decorandos reges esse. potes sine ijs insignibus, atq; infulis regni sedere regali in solio, cum purpura, & sceptro ornatu regio: etiam si absit diadema. quod uel ob hoc maximè inuisum tibi esse debet, quòd eius apex crux est: quæ cùm ex omnibus templis, ac triuijs, locisq; publicis toto regno à nobis in præsentia tollatur: ne in diademate quoq; salua permaneat. immo si aliter non potest, cum diademate unà intereat potius: quàm autoritatem regis, & regni dedecoret. Quòd si desiderium harum nugarum ferre non potes, lenient illud ministri à me dati:

qui hæc

qui hæc procurabunt, cùm usus fuerit, & ipsi. Quamobrem, nulla res te re-moretur, neq; salutem istorum à te deprecetur: quin sublatis ex Polonia Episco-pis, regnum tuum Papatu, id autem est idololatria, primo quoq; tempore libe-res. Nihil apud te ualeant illa, quibus isti pugnant maximè: nempe Episcopo-rum ipsorum sempiterna successio, Ecclesiarum consensus: tum doctrina miracu-lis approbata. omnia hæc, si rem ad rationem meorum Canonum reuoces, nihil sunt: unde tanquam è fonte uiuo, salus ac uita tibi, regnoq; tuo scaturit. Proin-de, non tantùm hos præsentes, sed etiam illos ueteres Episcopos, quorum exem-plis isti pugnant, Adalbertos, Prandotas, atq; Stanislaos aspernare. nam hi pri-mi superstitionem ad consimilem idololatriam, in septingentesimum prope an-num, in Polonia tua propagârunt. à quibus per summam maliciam, ueneficijs atq; præstigijs, Vuladislaus Iagello proauus tuus, impulsus, & inductus, impia fraude, & ipse se obligauerat: & Lituaniam suam contaminauerat: introductis in eam ex Papatu Episcopis, qui gentem illam baptisarent: & sacra, atq; ceremo-nias in Lituania instituerent, Papistico ritu. Quare collige te magnanime Rex, ac saluti tuæ, regniq; tui, dum tempus ad eam rem est, consule. In præce-ptis patrum tuorum ne ambulaueris: sed Canones meos salutares tantummodo audi, depromptos ex ipsius diuinitatis armamentario. Quos ubi cognoueris, aperte uidebis merum Antichristi regnum: in quo qui perseuerauerint, uitam a-mittent æternam. Quo cognito, statim illi ualedicere debes: & te totum cum re-gno tuo suauissimo, regno Christi consecrare. Accipe itaq; hilari animo pru-dentissime Rex, hos Canones reformationis: & hos libros quoq;, qui necessita-tem reformandi regnum tuum ostendunt, diligenter lege: & ne patiaris amplius te cum regno tuo sub regno Sathanæ detineri.

☞ Ver-ba Stan-cari ad literam

Præclara & digna, Stancare, Pœno Oratio: in qua Rhetorices tuæ officia præclarè absoluis. pal-paris enim, et adularis plebi: dum illi maximos que-stus prædasq;, ex sacerdotum bonis proponis: & rapinis illius imbecillitatem aucuparis. Sed qui tu tandem quæso hac oratione regem nostrum doces, ô Stancare: nisi quod crudelissimum omnium Ty-rannorum Phalarim abs te doceri par esset? qui in tauro

Stăcar ty-rannidē in Poloniam inducit.

tauro æneo incluſos homines ſuccenſis ignibus torrebat. Tyrãnidem enim apertè doces, alienam à genere, ac nomine noſtro. atq; oblitus nobis lagellonas Reges eſſe: Dionyſios, & Piſiſtatos, neſcio quos, Canonibus tuis in Polonia inſtituis. à quibus crudeli dominatu premamur: qui ad arbitrium huius regni inuertant ſtatum: dum quidem Tyrannidi illorum, non communis regni conditio, lexq;, non Regis ſacramentum, obſtabit.

Sublato Archiepiſcopo, tollitur ex Polonia Rex

Sed mitto Tyrannos, quos expertum genus noſtrum nunquam eſt: ac ne vnquam experiatur, Deum peto: quæſoq;, Regibus ipſis, Archiepiſcopo cum Papatu ex Polonia ſublato, quid fiet? aut quo modo regium nomen in Polonia cohærebit: ſi nulla vi, nullo (vt ita dicam) Archiepiſcopali numine continebitur? cùm declarandi, atq; regio apice coronandi Regis, legibus regni, penes Archiepiſcopum Gneznenſem, ſumma ſit apud nos poteſtas. vt lex infraſcripta docet.

LEX DE CORONATIONE.

Quantùm ad Coronationes Regum & Reginarum regni Poloniæ pertinet: ſtatuendo decernimus, & ſtatuimus: quòd nullus alius ad Coronationem ipſorum Regum, & Reginarum ſe de cætero, & in perpetuùm intromittet, et coronabit: præter Archiepiſcopum Gneznenſem, pro tempore exiſtentem.

ALIA LEX.

Regem liberè electum, nemo alius coronare debet: præter quàm Dominus Archiepiſcopus Gneznenſis, cum ijs Epiſcopis, qui ad hoc ſecundùm ueterem conſuetudinem pertinent.

Iam'ne

Iam'ne sentis Stancare, vt rex in Polonia cum Archiepiscopo ita cohæreat: vt ruere Archiepiscopus absq; Rege nullo modo possit. Etenim scire ex te Stancare volo: Archiepiscopo cum vniuerso Papatu ex Polonia de tua sentẽtia explosо, eiectoq; quis in Polonia coronabit Regem? quis capiti regio imponet diadema? quis Regem amiciet purpura? quis illum exornabit sceptro, atq; aureo malo decorabit? siquidem Gneznensis Archiepiscopus, exornator Regius, autorq; legitimus, Canone tuo (vti iam dixi) fuerit ex Polonia sublatus? Pellantur, inquies, è Christiano regno istæ ineptiæ pene aniles: quibus barbarorum reges olim fiebant illustres. At regni lex vetat aliter quenquam, nisi coronatum in Polonia dominari. Quid tum inde inquies? nihil apud nos valeat, quod scriptura non valet. ad illum enim nobis solum est attendendum, de quo est dictũ: Hunc audite. qui nihil de coronandis Regibus docuit. At (ego inquam) amittemus summi imperij insignia, plurimo sudore, atq; sanguine maiorũ parta: ni illis exornatos habuerimus reges? Quid tum postea (inquies) omnia hæc gentes quærunt, quæ ignorant Deum. At (inquam ego) nomen etiam Regis, regniq; cum ijs insignibus potestatis regiæ, vna apud nos interibit? Intereat (inquies) regnum mundi, & omnis ornatus sæculi: modò Christus me autore in Polonis regnet. qui sine hisce infulis, probè regnare nouit in suis. At (inquam) nos ipsum

Chrūs rex coronatus

etiam Christum spinis Coronatum, in suo regno vi-demus esse Regem. namq; hunc sub Corona amictū purpura, quod Regem decuit: declaratum à Pilato solennibus illis verbis, Ecce rex vester, esse scimus. Probè dicis, spinis (inquies) non autem auro coro-nario. Cuius cuius (inq̄)modi Corona fuerit, non laboro: dum modò hoc constet: vt Christum absq; Corona in regno suo Regem non esse: sic in morta-lium repub: nisi coronatum, neminem verè dici pos-se, neq; haberi regem. eò enim spectat regalis illa Co-rona, in Regibus: quò Reges commonefiant, se ad-ministros esse, & quasi satellites quosdam in homi-num vita, illius summi ac spinis coronati Regis. Qui quidem rex, caput est eorum hominum: inter quos regnum possident isti mortales reges no ri. qui in-ter Christianos omni vi carebunt, potestateq; regia: si illa nota fuerint cassi. qua nos adducti iudicemus, assentiamusq;, regibus nostris vllum esse, cum rege Christo commercium: à quo, vis vera, potestasq; re-gnandi legitima in germanos reges deriuatur.

Quare co ronātur re ges?

Christiani reges differunt à paganorū regibus.

Sed tu Solymanum fortasse Turcam, conci-uem tuū Babylonium, hoc loco obijcies nobis: absq; Pontificia corona, ac sceptro, purpuraq; regia, eodē iure apud suos regnātem: quo regnant nostri quoq; apud nos coronati, ac purpurati reges. Tam ille, Stancare, rex est: quàm illius Tyranni Christus ca-put est. cùm enim hic eius capitis non sit membrum:

quomodo

quomodo illa corona, si quę insanum illud tetigit caput, in illo seruitio misero tetroq́, Coronæ instar Christi regis est? aut quomodo is Tyrannus, legitimam regnãdi potestatem à Christo rege habet: cùm tantopere Christo regi aduersetur? Vis illa, atq; tyrannis cuncta in Turcia est: non autem potestas, dignitasue regia. quæ aliter non fit: nisi ex Christo, & sacerdote, & rege summo tota pendeat. Nec verò hic Tyrannus tantùm regiæ potestatis, à sacerdotio Christi seiunctus cum sit, expers est: sed etiam veteres illi reges ac Tyranni, terra mariq; quondam potentes: vt Nabuchodonosor, Cyrus, Alexander, Romulus: mitto alios, qui summa vi oppressos imperio cò'ercebant: extra Ecclesiam positi, longè aberant à splendore nomineq; regio. Quid enim illi erant aliud, quàm excursores quidam, viuentes latronum ritu: vt tantum haberent, quantum rapere potuissent? Itaq; principium imperij, & quasi seminarium dominatus istorum, dolus ac vis: non autem fides, neq; pietas fuit. Nam & Gyges ille Lydorum rex, vt apud Herodotum est: oportunitate fallacis annuli vsus, & reginæ stuprum intulit: & interfecto rege, tyrannidem in Lydia occupauit primus. Cyrus quoq; iugo Lydorum repulso seruitutis, per astutias pares imperium à Lydis in Persas conuertit. Quid Macedo Alexander, quæ vicia & peccata prætermisit: cùm Persis imperium idem auertit? Iam Romani rerum Domini, imperium Oceano, famam dum terminant

minant astris: non è fratricida Romulo exorti, vi, et armis in tantam potentiam ascenderant? vis ergo inerat in horum imperijs: quæ eodem quo paratur, frangitur & infirmatur ferro. Nullus in horum regnis splendor regius: nulla amplitudo regalis fuit. Tyranni illi hominum oppressorum, non reges: immo verò cupiditatum suarum fuerant serui. æquè ab regno Dei, vt à communi generis humani societate abhorrentes. nec propter vllam aliam causam, nisi quòd illis defuit suprema Pōtificialis manus. qua et regale fastigium illis imponeretur: ac vis & potestas regia diuinitus in illorum animos insereretur. Et quoniam hæc ipsa tam potens, tamq; magnifica Pontificialis manus extra Ludęam, id est, extra Ecclesiam nusquam est: reges quoq; veros ac germanos, nisi in Ecclesia, nusquam alibi esse confitendum est. Qui quidem à sacerdote summo ritè creati ac declarati reges, à falsis regibus hoc differunt: quia illi sua, isti verò suorum curant commoda. illi soluti sunt legibus: isti contra legibus sunt ligati. illi supra legem, isti viuunt sub lege. illi dominantur seruis: isti imperitant liberis. illos in dominatu cōercet nemo: istos delinquentes in regno, idem qui creat, sacerdos continet. Postremò, illi nulla religione iusiurandi obstringuntur: isti, nisi regali sacramento obligentur, in veris regibus non habentur.

Et ne fortè sine corollario ab hac contentione regum,

regum,ac Tyrannorum discedamus:sic habeto. cau- Tyrānidis
sam aliam in vita tyrannidis non esse: nisi summi sa- origo.
cerdotis despicatum. neq; enim prius Saul ex rege in tyrannum se conuerterat: quàm Samuelem sacerdotem summum contempserat. Non prius sanguinarius Achab,ac Iezabel,omnia diuina atq; humana apd' Iudæos turbauerant: quàm Heliam despexerant. Sed quid vetera colligo? ecce in manibus duo feri, atq; importuni tyrāni, Valachus atq; Moschus: quorum alter ab oriente,alter ab aquilone nobis immineant. qui quamuis Christianas gentes imperio premant: tamen,quòd sacerdotem summum non agnoscunt,neq; in illius sunt manu,nullis legibus viuunt: nullo etiam superioris potestatis metu, in crudeli dominatu illorum frenatur furor. nihil apud eos valet ius: nihil mos,neq; fas. id iustum inibi, quod tyranno vtile: id lex,quod eidem conducibile est. Et ne fortè solos Valachos atq; Moschos,hac conditione seruitutis, ex contẽptione ac despicientia summi sacerdotis,premi putes: refer aspectũ ad eas gentes, quæ à summo sacerdote desciuerunt: vestigium liberi populi in ijs nullum offendes. At in regibus rectè & ordine declaratis,secus est: quos in munere regio redundantes, & superfluentes regali licentia, reprimit ac redijt in ordinẽ superior Põtificialis potestas.ita vt nisi reges principi illi potestati pareant, erratoq; desistãt,paratus sit portus atq; pfugiũ aduersus illos oppressis:ipsa nimirum regni abrogatio.

Coronationis sacramentum.

Nec verò temerè fit: quòd diadema Regio capiti imponitur Pontificiali manu inde enim liquet: hos terrestres reges, summo illi Pontifici, & cœlesti regi subditos, ob propugnationem amplissimi sacerdotij Christi, quæ Ecclesiæ est Dei viuentis, esse institutos. Quocirca illo coronationis sacramento, à Pontifice: duo regibus proponuntur. Vnum est, vt intelligant reges, in regno Christi, pro pace contra bellum, pro iusticia contra iniusticiam, pro fide contra perfidiam, pro veritate contra falsitatem, Stancare, vestram: non tam hominis, quàm Dei manu se vnctos esse. Quam sanè rem, luculenter illustribus verbis Samuel sacerdos expressit in Saulo rege: dum illi iam peruncto, osculum fert: atq; illa solennia addit verba. Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam, in principem: & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu sunt. Alterum est, vt rex certò sciat: sub potenti illa manu Christi (manus enim sacerdotis, manus Christi est) se curę esse Deo. neq; solum munus regium, verumetiam incredibile quoddam animi robur, vnguenti mysterio, regibus in exequendo munere regio, à sacerdote tribui. id quod ex eo intelligi potest: cùm Samuel summus sacerdos, armum hostiæ apposuit Saulo, futuro regi. Vnguntur enim regi humeri, & lacertorum tori: quòd in ijs membris naturaliter vis ineſt, & incitatio quædam ad pugnam. cùm tamen Pontificum ipsorum præcipuo iure, capitis vngatur vertex:

vertex: vt inde intelligatur, ſummum ſacerdotem regibus idem eſſe, quod caput membris ſuis eſt. neq; reges veros eſſe, neq; poteſtatem regalem aliter illos habere poſſe: niſi ex Samuelis illi oſculo, hoc eſt, ex obſeruantia atq; obedientia ſummi ſacerdotis, pendeant. Quę enim alia vis ad regis Chriſti coronam reges noſtros aggregauerit: ſi manus Pontificialis extrema nõ acceſſerit? aut ſi oſculum ſacerdotis maximè defuerit: ſplendoriq;, faſtigioq; regio? nam ſacerdotis vnguento, vis omnis ac poteſtas regis Chriſti, in tuendo regno Dei, cum regibus noſtris communicatur: oſculo autem regum ipſorum, obſeruantia erga Sacerdotes Chriſti ſancitur. vt ſacerdotum autoritate Reges nixi: Regis regum Chriſti omnes tueãtur regnũ: magiſtro, ac duce ſummo Sacerdote. *Oſculum ſacerdotis*

Iurè igitur coronati reges, à coronatione recta ad oſcula pedum beatorum ſummi Sacerdotis proficiſcuntur: vt in principe vrbe, quam elegit Dominus Deus, apud ſedem põtificialem, primam profiteantur obſeruantiam ſuam erga miniſtrum Chriſti: & ſeſe cum hoc principe ſumma fide coniunctos eſſe, in oſculo pacis teſtificentur. Qua ſanè maxima grauiſsimaq; ceremonia, exprimitur omnis illa mortalium regum humilis & abiecta, ſub potenti manu immortalis Chriſti regis, ſubiectio. Non pedibus morituri hominis (crede mihi) honos ille ampliſsimus, à regibus noſtris Romæ habetur: vt tu admo- *Oſcula pedum.*

dum men-

dum mentiris: sed ipsi Christo Deo & Domino nostro: quem celso in solio sedens ministeri ille, in vrbe Roma representant. quem qui rex spernit, Christū regem spernit: ac nomen iusq; regium amittit: nullumq; est illi cum Christo rege commercium. Neq; verò est, quòd tu illo Petri exemplo hæc oscula condemnes, ac morem maiorum reprehendas: qui Cornelium procidentem ad pedes suos reprehendit, ac venerationem illam iniustam detestatus est. Neq; enim Cornelius veniebat, vt ad ministrum Dei, ad ipsum Petrum: sed veniebat, vt ad ipsummet Deum. erat em̄ Atheos: & vt nunc vocant, gentilis. qui virtute præstantes homines, deos esse indutos specie humana, gentium superstitione adductus, existimabat. Quo etiam errore, apud Lycaones Paulo atq; Barnabæ sacrificatum penè fuit. Igitur Petrus in Cornelio non factum, sed propositum reprehēdit ipsius facti: hominemq; se esse non Deum, Cornelium docuit. Surge, inquiens: nam & ego ipse homo, non Deus, vt tu putas, sum. At si Cornelius venerationem illam exhibuisset Petro: non vt Deo ipsi, sed vt Dei ministro. nunquam Petrus illum à pedibus suis remouisset: neq; piè id ille fecisset: si venerationem illam in sua persona Deo fieri, ab homine pio prohibuisset.

Petrus cur osculū pedum recusauit?

Sed vt eò reuertar, vnde huc declinauit oratio: animaduertis ne, si tuo præcepto Poloni Papam relinquunt,

linquunt,& abijciunt: vt Archiepiscopo vacent, atq; careant. neq; enim is nisi à Papa Romano, testimonio Conciliorum omnium, creari ritè potest. Quòd si Archiepiscopus in Polonia nullus fuerit: neq; rex, neq; Regium nomen, neq; vis, potestasq; regis, vllo modo in Polonis subsistet. Ius enim, vti iam est demonstratum, in Polonia aliter regem fieri non est: nisi Gneznensis Archiepiscopus eius coronationis autor fuerit. Neq; verò est, quòd de sinu tuo nobis apponas rapaces illos furunculos tuos: qui operas in coronando & inaugurando rege pro Archiepiscopo in Polonia nobis dent. Qui enim sunt fugitiui et incircumcisi latrones isti: qui tantum munus apud nos exequantur? vt quibus nisi in carnificina, locus in Polonia alius non est: eis tu munus declarandi & inaugurandi regis, in nostra repub: assignes? Samuele, Samuele, inquam Stancare, ad declarandum, coronandumq; in Polonia Saulum, nobis opus est. qui non solùm Coronam regio capiti imponat: humeroq; peruncto regi Polono regium munus iniungat: sed etiam vim atq; facultatem regij muneris, pro salute nostra exequendi, eidem attribuat. vt ita à suprema, eaq; legitima potestate, Rex Polonus renunciatus, possit verè Dei minister dici: omniaq; in Polonia rectè, atq; ordine, exq; republica, facere & efficere. Quamobrem cùm tu non Aaron, sed ipse sis Abyron: neq; Samuel, sed merus sis Abadon: neq; etiam grex tuus cuneus sit prophetarum ille, quo in

Rex in Polonia absq; Archiepiscopo nõ est.

ST Ancar Abyron.

medio rex noſter prophetet: ſed ſit cœtus impius filiorum Chore: cum quo, ſi hunc ſequatur, rex noſter ad inferos videns, viuusq; deſcendat, qua mente, aut quo ore audes, exploſis veris Læuitis, ſublatisq; ex Polonia legitimis ſacerdotibus domini, alieniſsimos homines, ad offerendum incenſum coram Domino ſubmittere? qui in tabernaculo teſtimonij vngant, coronent, atq; inſtituant Polonos reges? Cur in tanto ſacrilegio, horribiliq; periurio, ignem illum ſacrilegij ac periurij vltorem, non metuis: qui ducentos quinquaginta viros, vno puncto temporis in ſolitudine conſumpſit, ob conſimile ſcelus? Denicq;, cur hiantem ac patētem iam tibi terram illam non paues? quæ te Dathanum atq; Abyronem, contra ſummum ſacerdotem Chriſti murmurantem, abſorbeat? O nimium oblite tui: qui quanta apud inferos tibi ſacrilego, parata ſit pœna, non vides. quanquam, ſi eſſet in magiſtratibus noſtris ea ſeueritas, quæ eſſe debebat: iam te nobis quoq; iuſtas ac debitas præſenti ſupplicio pœnas perſoluere oportebat. qui auſus es hæreticorum primus, aures regis noſtri inceſto ore tuo poluere, ac violare: & ea conſilia contra maieſtatem regis & regni, imperitæ multitudini ſubminiſtrare, quibus regem et regnum, nos ad extremùm amittamus.

Archiepiſcopo ex Poloīa ſublato libertas regni toſlitur.

Quid ſi etiam doceo: Archiepiſcopo à ſua procuratione amoto, te non ſolùm regem atq; regnum

ex Polo

ex Polonia exterminare: sed etiam tetram, diramq; in vnius dominatu seruitutem in Polonia compara re: parum'ne constabit Stancare, te hostem patriæ nostræ, ac parduelem regni, reum maiestatis esse? Quapropter, antequam infero hoc ego tibi crimen maiestatis: principiò omnium ciuium meorum cla mabo, orabo, atq; implorabo fidem, vt adsint: cogno scant, animaduertant, quàm indignè nobis Polonis à fugitiuis iisce, eripiatur patrimoniũ dignitatis, li bertatis, salutis. Ad quam rem, vt compendio fu gitiui isti perueniant: hanc sibi muniunt, atq; affectãt viam: vt Gneznensem Archiepiscopum deiiciant de reipub: præsidio: & de custodia regni deturbent. omnia enim hæc salutaria, quæ moribus, quæ maio rum institutis, quæ legibus in nostra repub: conti nentur: latent in tutela, ac præsidio vnius Gneznen sis Archiepiscopi, cõtra vim, libidinemq; regum po tentiorum. Solus enim hic ex omnibus in Polonia regibus est oppositus: ne regum effusæ in omni in temperantia libidines, se se vnquam incitarent in li bertatem communem. Pro qua sanè ratione, solus antè alios Gneznensis Archiepiscopus in Polonia, non Senator regni, vt alij: sed pater patriæ, vt nemo: non internuncius, sed Legatus Apostolicus: non se cundus, sed primas, hoc est, vir primarius populi in nostra repub: appellatur more patrio. Atqui insi gnes isti, & pulcherrimi tituli, vim, & (vt ita dicam) numen ipsius Archiepiscopi in repub: magis, quàm

in ipsa re diuina declarãt. Etenim, quantùm ad rem diuinam attinet: satis est illi antistitem sacrorum dici, & Pontificum minorum præsidem. At si rempub: spectes: iste ipse et Pater, et Legatus, & princeps omnium in Polonia est. Princeps inquam, quia is, & inaugurat, & exautorat, vt mox apparebit, reges. Tum in Senatu primæ sententiæ autor est. & si rex nouis rebus studens cunctetur: comitia illũ habere ius est. Deniq; idem à sede Apostolica in Sarmatiam autor et magister publicè religionis est Legatus, ob id, ne peregrinæ aduentitiæq; hæreticorum doctrinæ vnquam perturbarent tranquillum reipub: nostrę statum. Postremò Archiepiscopus hic pater regni appellatur reuerendissimus: quòd omnes cæteri in Polonia cum hoc vno collati, filiorum sunt loco, adeo, vt quantumuis licet alij excellãt: tamen prę cipuo iure hunc vnum reuereantur cũcti, & colant vniuersi. Quanquam autem hæc prę stantissima Archiepiscopi Gneznensis in Polonia autoritas, ex iure nostro ciuili sua sponte appareat: tamen exemplis quoq; demonstrabo id, quod dicimus, eiusmodi esse. inde eñ facilè constabit, autoritatem Archiepiscopi patriæ potestatis loco, antiquitus apud reges Polonos semper fuisse. atq; hanc eandem idem apud nos valere oportere: si rempublicam volumus esse saluam. Et vt hoc in patriæ exemplo, tanquam in illustri monumento, cuiusmodi sit, demonstrem: ex annalium vetustate eruenda mihi est eius rei memoria: atq; ex

regum

regum ipsorum commentarijs repetenda. quę aperte declarat Archiepiscopi autoritatem principem in Polonia semper fuisse. Ponam itaq; ad verbum id, quod extat perscriptum, Chronicorum libro iij.

☞Miecislao Monarcha ab Archiepiscopo, & Gedeone Episcopo monarchatu deiecto: in Kazimirum Ducem Sandomirienſem, principatus fuit translatus. Et infra. Et ne tales consuetudines in posterū ab aliquo innouarentur: placuit omnes transgressores, horrendo anathemate innodare. Sdislaus itaq; Gneznensis Archiepiscopus, cum cæteris Episcopis omnibus Pontificialibus indutis, Gedeone Cracouiensi, Ziroslao Vladislauiensi &c. astante Kazimiro Monarcha, & Baronum multitudine, in hunc modum pronunciauit. Qui agrestium annonam, aut res quascūq; vi, aut quouis alio pacto tulerit, aut auferri iusserit: anathema sit. Qui legationis, aut necessitatis publicæ vel priuatę occasione, cuiuspiam quadrupedem & iumentum in angariam acceperit, vel accipi iusserit: anathema sit. Qui bona Pontificum aut Ecclesiasticarum personarum rapuerit, occupauerit, distraxerit: etiam si persona sit illustris, & Regali, Ducali, aut quacunq; alia prefulgeat dignitate: anathema sit. Qui Episcoporum spoliatores acceptauerit: veluti sacrilegij particeps et consentaneus. &c. anathema sit. Et responsum est à Ducibus, & vniuerso populo: Amen.

Archiepiscopus excommunicat regem.

En hîc apertè audis, vt rex ab Archiepiſcopo in Polonia exautoretur: audis vt is anathemati ſubĵciatur: audis vt ab anathemate ne perſona quidem illuſtris ac regalis excipiatur: deniq; audis ipſum Polonum regem, vltro ſe ſe Archiepiſcopo ſubĵcientẽ: et anathemati illius regios ſuos propemodum faſces ſubmittentem: ad eiuſq; execrationes publicas ſolenne Amen ſupplicem reſpondentem. Quid aliud expectamus, quo maiorum diſciplina clarius nobis innoteſcat: quàm hoc exemplo innotuit? Summus regni Monarcha ad pedes Archiepiſcopi abiectus hîc iacet: & tanquam minor maiorem, ac filius patrem, ſubiectusq; principem tremit, horretq;: ne quid imprudẽs aduerſus interdictum Pontificium, in regno ſuo committat. Quid aliud quæſo eſt, imperare regibus: ſi hoc non eſt, vitæ modum anathematis pœna illis præſcribere? Quid verò liberati communi contra regalem vim aduocatum eſſe aliud eſt: ſi hoc non eſt, regibus edicere, vt illi æquè à publicis vt à priuatis, tum ab ſacris & à prophanis rebus manus ſuas regias abſtineant?

Archiepiſcopus excommunicat regem.

Verumenimuero illud eſt ad omnem poſteritatem in Iacobo Archiepiſcopo exemplum memorabile: Gneznenſem Archiepiſcopum, tam domi q̃ foris, tam pace quàm bello, Polonicę libertatis præſentem certumq; cuſtodem eſſe. Hic enim Iacobus, Tetrarchas regni ab Vuladiſlai fratris impĵ obſidione libe-

one liberare cupiens: regem à Poznania iussit recedere: ni faceret, contrà suam autoritatem factum videri. Et quoniam animus illius viri magnus, & excelsus commemorabilis est, quo ille in subiectũ sibi regem est vsus: ideo operepreciũ fuerit ex annalibus ad verbũ memoriam illam veterem attingere. quæ sic est: His itaq; probris, reuerendus pater Iacobus Metropolitanæ Gneznensis Ecclesiæ Archipræsul lacessitus: quadriga vectus, quia grandeuus, & senex erat: habitu Archiepiscopali indutus, suaq; tiara, seu infula, ornatus, in Vuladislai tabernaculũ ingressus est: atq; è sella principi Vuladislao, ne alienas possessiones raperet, persuadebat. Et infra. Vuladislaus autẽ huic prudenti persuasioni, & Catholicæ correctioni, nullo pacto acquiescere voluit. Iccirco Iacobus, Gneznensis Archiepiscopus, vir iam senio confectus, è sella cui insidebat sese erigens inquit. Autoritate omnipotẽtis Dei, cuius ego ministeꝛ indignus, officium gero, te monitum, & rebellem excommunico. Pharaonicaq; obstinatione in duratum Anathematizo, ac veluti incorrigibilem diuinæ vltioni te puniendum reseruo. Hæc ibi.

Quid ad hanc autoritatem, seueritatemq; addi potest? acta res est in castris, cum crudeli atq; audaci rege. et tamen Archiepiscopum illum diuinum, & singularẽ virum, & Rex ipse, & exercitus tulit: nec illius Archiepiscopi animum perstrinxit splendor Regius:

Regius: neq; perculit præsentis exercitus metus, quin pro repub: pro libertate communi, proq; legibus se se iniusto regi, magno animo opponeret. Cui cum non obtemperaret Rex, vix vna interceſſerat dies, cum castris ab hoste exutus, turpiter fugere, & obsidionem illam intermittere fuerit coactus. Qua sanè plaga illius Regis monemur, æternam illam Archiepiscopi autoritatẽ, Deo ipsi ratam ac fixam esse. Sed tamen & Ianusius Archiepiscopus ob vim allatam Paulo Cracouiensi Episcopo, Boleslaum pudicum interdicto affecerat. nec prius eo illum leuauerat, quam Episcopo illi ab Rege satis fieret. Sed hæc vetera, propiora videamus.

Archiepiscopus Regẽ iudicat.

Lis erat capitalis, Kazimiro magno, de decumis agri vectigalis sacerdotum, cum Bodzanta Cracouiensi Episcopo: quæ, (vt memoriæ traditum est) ad iurgium exceſſerat. Iaroslaus tamen Archiepiscopus, ex autoritate controuersiam illam disceptauit, legesq; tulit eas, quibus ad hanc diem ea vectigalia Poloni decumarum nomine pensitãt: quæ imposita olim fuerunt Iaroslai decreto. Quid illa eiusdem Bodzantæ EPiscopi in Kazimirum magnum excõmunicatio, qua is eum regem ex Ecclesia ob erepta bona Ecclesiæ Cracouiensi, tum etiam ob adulteriũ eiecerat: parum ne declarat pontificiam in Polonia autoritatem principem esse? Multa sciens, in medio quæ occurũt, pretereo. Sed tamen illud memorabile est,

rabile est Sbygnei de Sienno, Episcopi Cardinalis patrum auorumq; memoria exẽplum. qui Kazimiro iñ, huius nostri Sigismundi Augusti optimi Regis, Auo, noua quædam & capitalia aduersus rem Ecclesiasticam molienti restitit: atq; illum, quod Episcopum decuit libere refutauit. Nam cum Kazimirus effuso in bellum Prutenicum ærario, vnde faceret sumptum in rem militarem, non haberet: omni Ecclesiarum Gaza, quæ fuit maxima, sibi suppeditari volebat ad vsum belli copioseˆ. eius sententiæ vehementer ab omnibus Episcopis reclamatum quidẽ fuit: Sed tamen cæteri vim Regis cum non ferrent, solus Sbygneus Cracouieñ Episcopus, irruenti in ærarium Kazimiro se se opposuit Pontificio habitu. Verba etiã ab animi magnitudine profecta, illa addidit, stãs in ipsius ærariñ limine: Quoˆ ruis oˆ Rex: sacer hîc locus est: mea possessio: nihil hîc patet tibi. si pergis, Boleslaum repræsenta, ac me Stanislao vtitor. Diuus enim Stanislaus ante CCCC annos Boleslao Regi consimili animo pro Ecclesiæ suę fundo se se opposuerat: cæsusq; ob id à Tyranno fuerat. Sed tamẽ ex iñs paucis quæ retuli intelligi licet, à maioribus nostris Archiepiscopo Gnęznensi: ideoˆ datum fuisse in Polonia principatum, quoˆ coˇerceretur summa illa, & immoderata Regia potestas. vt si rem ad rationem reuoces: nil aliud Gnęznensem Archiepiscopum in repub: nostra esse dixeris: quam moderatorem quændam Regiæ potestatis, ac communis libertatis præsidem.

Episcopus regẽ repellit ab ærario.

Staniſlai mors.

Archiepiſcopus in Polonia libertatis cuſtos.

Archiepiscopus summo honore in Polonia,

ATqui, is ipse Archiepiscopus propter excellentiam, atq; præstantiam dignitatis habet in Polonia iustam, ac debitam, tam priuatim quàm publicè venerationem. PRImùm enim Rex ipse obligatur ab illo obedientiæ sacramento: vt non aliter nisi obedientiam Ecclesiæ, Petriq; sedi, apud Archiepiscopum professo, quòd mox apparebit, diadema imponatur Polono Regi. Qua etiã opinor ex causa Rex in literis, ad Archiepiscopi titulum, dominum addit, hunc in modum illi scribens: REVerendissimo in Christo patri domino Ioanni Przerembski, Archiepiscopo Gnezenensi. &c̃. Haud potest grauioribus verbis à Rege Archiepiscopus salutari, quàm domini nomine ab illo salutatur. Neq; verò tantùm ponderis esset in verbo, nisi in ipsa re iustus, ac debitus inesset honos. Qui sanè Regius mos in scribendo satis declarat, quô loco in Polonia, quoue honoris Archiepiscopus sit gradu. nulli enim Senatorum præter Archiepiscopum, & Episcopos eius tituli à Rege habetur honos. Iam quanta vulgô adhibeatur legibus aduersum hunc in Polonia omnium generum, atq; ordinum reuerentia, leges prolatæ docent.

LEX.

SI quis turpia uerba coram domino Archiepiscopo protulerit, pœnam eidem domino Archiepiscopo L. aliâs piantnadzieszta persoluat.

ALIA LEX.

SI quis coram domino Archiepiscopo gladium, uel cultellum extraxerit, siue aliquem uulnerauerit, siue non, pœna Siedmadzieszta puniatur. eidem domino Archiepiscopo applicanda.

Tam graue

Tam graue,& ſanctum nomen Archiepiſcopi in Polonia apud nos eſt, vt cum illius ſancto religioſoq; numine regni ſumma contineatur, ipſe ſumma religione ſanctimoniaq; ab omnibus colatur, obſeruetur q.

SED hoc loco Ogganniet Stancar,& tanto in honore Gneznenſem Archiepiſcopum apud Polonos non eſſe:neq; cum hac tanta poteſtate,quanta nos illum præditũ volumus videri in Polonia, illum nũc verſari contendet:contraq; ac dico rem euenire. Nãet in ſubſcriptionibus ad Reges, & ad Reginas, deuotas creaturas Archiepiſcopi,& Epiſcoporum pleriq; ſe ſe perſcribere non erubuerunt: & ad aras ornatu illo penè Tragico induti,cum Euangelio pacis ſacro in medio ad mulierum etiam pedes (ô rem indignam)procubuerunt. Atqui, vtinam id verè nobis obijci non poſſet. vera enim hæc ſunt omnia,quę ex miſerrima ambitione,honorumq; contentione,profluxerunt ad Eccleſiam Chriſti,dum dignitatis oblitus in petitionis curriculo Epiſcoporum alter,alteri apud reges ſtudio præcurrit. cum enim per rectum curſum Epiſcopi quidam conſequi Epiſcopatus non poſſunt:ad ambitionem turpem confugiunt:omniaq; precibus, largitionibus, atq; pactionibus tentant, dũ modo in petitione præcurrant,& euolent altius. à quo ſtudio & cupiditate,quæ ſordes,quæ vanitas, aut læuitas,atq; futilitas abeſſe poteſt? non eſt ſanè,

Archiepiſcopus cur uiluerit in Polonia.

quòd in hoc tali hominũ genere ſpiritum illum Helię quisq; expectet, qui conterrat petras, aut deſerta commoueat. Nimirum hi homines frigent, iacentq; ſemper, qui hominum potentium artificio, & ſtudio: non aũt inſtinctu, inflatuq; diuino ad illos ſummos in Eccleſia honores prouecti peruenerunt. Sed tamen eius rei culpa, cauſaq;, maximam partem Regũ ipſorum eſt, qui lus legendorum Epiſcoporũ ab iuſtis collegijs auerterunt, & ad ſeipſos per vim, cõtra quã fas fuit, trãſtulerunt, quò fit, vt Epiſcopatus, magnum illud, & præclarũ in Eccleſia Chriſti munus, ſit proiectus ab ipſis regibus in mediam contentionem, hominibus cupidis pro præda, manubijsq; hoſticis, vnde, qui Epiſcopi victores euadunt? videantne non ſatis ſit id, quod in Decretis patrum in tales Epiſcopos extat perſcriptũ Diſt: Lxi. cap: Nulla ratio ſinit. &c. An tu putas aliam cauſam ſectarum harum quotidianarum, quibus opprimimur, exiſtere, præter ignauiam Epiſcoporum? quorum impedita, et oppreſſa mens conſcientia, cum ipſa ſe damnet, orbetq; luce, propter vim nefandi ſceleris, concepti ex nundinatione rerum ſacrarum: fit, vt neq; erigere ſe aduerſus eorum arbitrium, quibus conſtricti beneficijs ſeruiunt, vllo modo poſsint: neq; animo, atq; cõſilio vacui occurſare audent ſectis, hominum potentium aut gratiam ſequuti, aut potentiam illorum veriti. Vixiſſes in Polonia Stancare Staniſlai Sgzgepanouij tempore, aut te ad illa tempora reſeruaſſet fortuna,

Ignauia Epiſcoporũ Sectarũ cauſa.

fortuna,quò in Polonia Iacobi,Zdiſſlai,Ianuſij,Iaroſlai,atq; Sbignei,(mitto alios)Archiepiſcalis vigebat autoritas, vnius vſuram horæ tibi ad viuendum in Polonia illi non dediſſent.Magiſtratibus etiam,atq; ipſi regi ex autoritate mãdauiſſent, vt primo quoq; tempore prouiderent, ne quid detrimenti Respub: ex veſtris ſectis acciperet.ni hoc Rex,magiſtratusq; faceret, contra rempub: videri factum illi pronunciauiſſent.vitam prius ſibi deeſſe, quàm animum talem aduerſus veſtras hæreſes maluiſſent. Quid ita? quia vigebat in illis viris ſpiritus dei:beneficijs principum obligati non erant: iuris ſui fuerant. munus etiã ſuũ rectè,& ordine ita adminiſtrabãt: vti volebant.ideò Regibus formidoloſi, cæteris autẽ omnibus metuendi,Eccleſiam Chriſti adminiſtrabant.At nunc, quoniam ratio veteris diſciplinæ, quam à patribus acceperamus,tota iam ferè interijt,tantum licentię vobis hæreticis ad quiduis audendum in Polonia datur,quantum vos vultis.Epiſcopi conticuêre omnes, intentiq; ad veſtros furores ora muta tenent.verbo vobis moleſti non ſunt: nec edictis Regem: nec interdictis reliquos magiſtratus in vos fatigant.dant, & concedunt vobis impunitatem rerũ omnium ſempiternam.Eccleſiæ verò Dei,præter illam deſperatam vocem, ô Domine ſalua nos perimus, nihil relinquunt.

Epiſcopi ueteres cur ſortes.

Chrũs nũq̃ deeſt ſuæ Eccleſiæ.

SED fuerint ſanè Epiſcopi quantumuis muti,

 ſurdi,

ſurdi, atq; cœci aduerſus veſtras Stancare hæreſes. tamen illius ſummi Epiſcopi, Chriſti Dei noſtri, aperti ſtant ſupra nos oculi: patent etiã aures ad preces noſtras. qui non dormitat, neq; vnq̃ dormiet, qui ſuum cuſtodit Iſraël. Is vigil, ac noſtri cuſtos fidelis, pulſatus, efflagitatusq; Iſraelis ſui precibus, mittet ad nos prophetas, & ſapientes, non de tuo impuro ſodalicio, quo te fallaciſsimè Regi noſtro venditas: ſed de ſuo æterno ſacerdotio, quod ab illo ortum, ſempiterna ſerie, inuicẽ ſuccedentium ſibi Epiſcoporum: perpetuatur. immo tãto ante ille ad nos à ſe miſſos ipſos hos noſtrates prophetas excitabit: ex hoc graui veterno, quo illi ſunt occupati: quibus dormitantibus, atq; alias res agentibus, vos Ariani, Neſtoriani q; in agro domini, triticeæ ſementi ſuperſeminaſtis apud nos zizania. Non eſt Stancare quod alios aduerſum vos anteſignanos atq; duces flagitemus, præter eos, quos ad nos in Sarmatiã Chrũs ſacerdos, atq; rex ſua manu à Petri miſit ſede. Qui ſi euigilauerint, munusq; ſuum reſpexerint, non erit cur veterum Pontificum vim ſeueritatemq; in vos hæreticos requiramus. An ego Staniſlaum, aut Iacobum illum veterẽ, aut Zdiſlaum, aut Iaroſlaum, quorum ſupra mẽtionem feci in vos hæreticos poſtulem? cùm habeamus tam præſentem contra vos ducẽ Ioannem Prerembium, Regni Poloniæ primatẽ, eiusdem loci, atq; ordinis hominem, genere, virtute, doctrina præſtantem. cui diuinitus adiunguntur hæc lumina regni. Paulus

Sacerdotes uiri à Petri ſede.

gni. Paulus Tharlo Leopolienſis Archiepiſcopus: Philippus Padnieuius Cracouienſis: Iacobus Vchanius, Cuiauienſis: Andreas Czarnkouius, Poznaniēnſis: Andreas Noſskouius, Plocenſis: Valentinus Herborth, Præmiſlienſis: Nicolaus Volſcius, Chelmenſis: Leonardus, Camenecenſis: Valerianus, Vilnenſis Epiſcopi, quibus ad ſummam Epiſcopalem nihil deeſt: niſi fortaſſe leue illud pro grege ſuo velle mori Quos ego noīatī hoc loco iccirco retuli, vt ſi iā à vobis hæreticis, quod deus ,phibeat, cadamus victi: ſequēs intelligat ætas, quibusnā patronis, Eccleſię Polonorum opes corruerint. Verumenimuero ſi in ijs Epiſcopis noſtris inerit fides ea, quę eſſe debet in miniſtris Chriſti, & in diſpenſatoribus myſteriorū Dei: facilè illi ſe ſe ad ſuum munus, penſumq; reuocabunt. volent certè in caput (vt Moſis verbis vtar) non in caudam populorum, penes nos eſſe: cumq; illos Chriſtus antepoſuerit omnibus Regibus, atq; principibus, cunctisq; populis: et deſinent regū aſſectatores, principum antiambulones, populorum vero aſſentatores, velle videri. inſtabūt præcepto, atq; exemplo Pauli, oportunè, & importunè. obſecrabūt regem: arguent Senatum: increpabunt populum: & extento vt aiunt digito, aduentantem tempeſtatem, ac fulgētem mucrone frameam Polonis demonſtrabunt: et quaſi tuba ſignum dabunt: quo concurrant vniuerſi, ad hoc fatale incendium veſtrum reſtinguendum: priusq; vniuerſi conflagremus. præſertim cum tua manu ſubiecti Polonię ignes iam edunt flā-

Pontificiaalis autoritas.

mam: cuius ardorem tu hæreticorum primus in omnes regni Poloiæ partes quoq; versus disiecisti, atq; hoc incendiū in fortunas nostras à te excitatū, si nō tuo, at Archiepiscopi, Episcoporumq; nostrorū sanguine nisi è vestigio extinguetur, ac fūditus deletur, totius regni deflagratio consequatur necesse est.

STAncar' Archiepiscopum oppugnat Cur.

Et quoniam contra ingentes has turbas, horribiles q; tempestates vestras in Gneznensi Archiepiscopo, tantum situm esse prę sidiū Polonis sentis: ideò, veluti Archipyrata Nauarchum de puppi, Archiepiscopum de præsidio reipub: conaris deijcere. vt hoc deiecto, depressoq;, facilius Sarmatiam totam, in hoc tanto sectarum turbine, submersam, postea obruas. Ad quam tu rem, Canone tuo aditum paras tibi. cū quidem exemplum Salomonis ementitum satis scitè regi nostro ad imitandum proponis: vt quemadmodum Salomon Abiatharum Pontificatu priuauerat: sic Rex noster Antistitem Gneznēsem Archiepiscopatu priuaret, Sed, vt omnes intelligant, quantus tu, ac qualis sis vertumnus, qui, quasi araneola, quicqd libas, venenū malum facis. ponam primo verba tua ex præfatiōe Canonum ad maiestatem Regiam. deinde eorū verborū fallacias breuit, strictiq; refellā.

☞ VERBA Stancari. Ex Canonibus.

Verùm, cùm Deus Regibus, Principibus, & magistratibus ciuilibus subiecit Episcopos, Archiepiscopos, sacerdotes (mitto Papam & Cardinales. quorū nulla prorsus mentio in uerbo dei habetur) & ministros omnes Ecclesiarum, tuū in primis of-

inprimis officium est ô Auguste REX, tuas Ecclesias reformare. Nõne Salomon priuauit sacerdotio summum Pontificem Abiatharum, atq; relegauit eum. &c.

Itane tãdem Stancare abuteris auribus, maiestateq; summi Regis? neq; erubescis tantũ regẽ fieri impudentię tuę testem? apud quem omnia hæc præfaris, de Regibus præferendis Episcopis: de instaurandis Ecclesiis: postremo de exemplo Abiatharis sacerdotis: quô tuas theses contra dignitatem ordinis probabiliter exponas. Ac de primo illo velim Stancare, bona venia, nos doceas, quo loco, aut quo vocali, scriptoue dicto, magistratui ciuili, Deus sacerdotes suos vnq; subiecit? profer vnum locum scripturę: sed integrum, sed incorruptum. non aũt, vt soles, mutilatum, neq; diminutum: quòd vbi feceris, vinces. Neq; verò scripturę fidem tantum ego hoc loco contra te imploro, sed omnes leges: non solùm imperatorias, sed etiam ex gentium superstitione natas: tum fabulas pòetarum ipsas, apud quos sacerdotum nomen, præter cæteros mortales, præcipuò in honore sanctum semper fuit. Etenim Chryses, vt apud Homerũ est, sacerdos Apollinis, cum infulis, & sceptro redimenda filia, honorabilis extitit Achæis: & ab Agamomnone Rege violatus, idem exitio fuit Græcis. Plena pòetarum eiusdemmodi fabulis sunt omnia: quę in rebus fictis nulla essent, nisi in vita hominum aliquando vera extitissent. Iam Leges ipsæ ciuiles, de Flammine Diali, quàm multę sunt, in Romanorum iure: quibus sacerdotis summi, princeps sancitur au-

Episcopi nunq; Regibus subiecti.

Sacerdotes semper præstantiores Regibus.

toritas? Quę tanta fuit, vt ipsius prætoris edicto, flamen dialis, apud Romanos eximeretur ex reis. verba edicti adscripsi: **Sacerdotem vestalem / flaminem Dialem / in omni mea iurisdictione iurare nō cogam.** Quòd idem est ac si prætor ita ediceret: Ab iure, iurisdictione potestatęq; mea prætoria, Sacerdotes, Pontifices, flamines immunes sunto. Quid vero Christianis iam tēporibus leges imperatoriæ, de sacrosanctis Ecclesiis & de Episcopis latę: parumne declarant, regibus in sacerdotes vim, potestatēq; imperandi nullam esse? Constantinus ille, re & nomine magnus, libellos accusatorios ab Episcopis inuicem sibi editos, in ignem abiecit, & exusit, illo subsecutus. Deos ab homine non esse iudicandos. Si igitur Constantini imperatoris, non iam elogio: sed decreto Episcopi Dij quidam sancti sunt: qua fronte, aut quo supercilio deos hominibus subijcis: ac reos iudicibus anteponis? Sed ne sit vlla fabularum, neq; legum, neq; exemplorum apud te ratio, ad scripturā ipsam, qua tu fidis frustra, te deducam, quam tu extra sinum, gremiumq; Ecclesię positus non plus intelligis, quàm Psittacus intelligis nostrum χαῖρε. Nec mirum, odio enim, atq; dissidio, non paci, neq; ocio studēs: comparas hęc adiumenta doctrinę. Verùm, vt à Mose incipiam, non videtur vir ille tibi fuisse Leuites? non Aronte frtare in sacerdotio maior? nō Dei optimi maximi interpres, internunciusq;? et tamen is tenebat nō modo autoritatem, sed etiam imperium

ST Ancar psittac⁹ in scriptura.

Moses sacerdos.

perium in omnes,quãtumuis libet, sanctissimos magistratus.subiectus autẽ populo in illo, magistratui erat nulli.Quin vero Pontificialem obedientiam in populo dei sanxerat vitę exitio. En hoc Mosis exemplo,edictoq; liquet falsum esse id,quod tu asseris,nẽpe Regibus ac magistratibus ciuilibus, Episcopos, Archiepiscopos deum subiecisse:sed tamẽ imperium Pontificialis præstantię declaratur:Samuelis exemplo in Saulo rege maximè.qui eiusdem sacerdotis ore,ac manu & renunciatus rex,& de gradu regio vicissim deiectus fuit.tanta quidem autoritate,vt eodẽ temporis puncto Samuele administro,vnà cum populi sui regno spiritum quoq; suum in Dauidem regem Deus transferret: cum omni vi,potestateq; regia. Et ne multa,si omnes scripturę angulos excutias, reges ac ciuiles magistratus in populo Dei sacerdotibus aliquando præstitisse,nusquam reperies.immo contrà ac dicis,in scriptura sunt omnia: in qua Abraham sacerdos, & propheta, Eliezerum suę habebat procuratorem domus: sic Moses in rebus gerendis ministris & satellitibus vtebatur Iosue, atq; Pnicha.sic Samuel,Saulum,atq; Dauida:sic Nathan, atq; Sadoch Salomona.sic Helias Azachelem, ac Iehu: sic alij sacerdotes summi, alios reges in populo dei, suis imperijs, & procurationibus obnoxios habebant. nec vnq; secus esse in illis literarum sacrarũ voluminibus deprehendes.

Samuel sacerdos.

Abiatharis exẽplũ falso profert Stancar.

Sed tu Abiatharis exemplo pugnas, & instas, quem Pontificatu à Salomone rege motum, & in prædia rustica relegatum fuisse scribis. Equidem tuã Stancare impudẽtiam satis mirari non possum: qui apud tãtum Regem falsum profiteri non erubueris. Neq; enim Abiatharum istum Pontificem maximum fuisse vlla docet libri Regum litera: neq; hunc eundem Rex Salomon sacerdotio ex autoritate priuatum, in prædia rustica indemnatum relegauerat: sed cum Adonias filius maior incidisset apud Dauidem patrẽ in suspicionem regni appetendi: Abiatharus aũt cum illo faceret aduersus Salomonem, designatum à patre Regem: Sadoch, & Nathan sacerdotes summi, Abiatharum pro hæretico condemnatum, ac secessionis reum, ad Dauidem regem detulerunt. eumq; monuerunt, prouideret Rex, ne quid motum in illo detrimenti respub: acciperet Abiatharo duce. quod etiam est factum: Sadoch enim, & Nathan sacerdotes postulante patre, Salomonem vnxerunt: ac declararunt regem. Cæterum, mortuo Dauide, cum idem Abiatharus cum Adonia secessionẽ nihilominus aduersus Salomonem moliretur: ab eodem Rege, pro eo, ac dudum ab Episcopis delatus fuerat, in agrum relegatur: vt vel illa occupatione rustica, frangeretur hominis importuni furor. Rem gestam qui plene scire volet legat Regũ libros. Quamobrem hoc de Abiatharo exemplum pro nobis contra te facit. nos enim asserimus, & præ nobis libenter illud ferimus, Impe-

Reges Episcoporum ministri.

mus, Imperatores, atq; Reges edictorum, atq; decretorum Episcopalium, contra vos hæreticos, administros, atq; explicatores esse debere: quod quam verum sit, vel hoc ipsum Abiatharis exemplum probat. Neq; enim hic prius à Salomone rege relegatur: quã factionis conuictus Regi à sacerdote summo fuerat delatus. quòd tamen exemplum profers vicioſe: vt tibi res hæc alieniſsima, à tua cauſa in errore tuo ſuffragari videatur. id quòd tu more hæreticorum facis, quorum nemo vnq; fuit, qui contra veritatem, pro falſitate, fidem non imploraret ſcripturę. quorũ tu inſtituto hicinde colligis, ac ſyllabatim delibas omnes ex ſcripturis ſentẽtias, à propoſito tuo alienas. Dicis enim relegatum, & amandatum fuiſſe Abiatharum à Salomone rege ſeceſsionis nomine: quod ſanè factum poſterius in re geſta fuit. illud autẽ prętermittis, quod relegationem, & amãdationem hãc anteceſſerat: nempe delationem Nathani prophetę: Et Zadochi ſacerdotis, quę ritè non poterat fieri, niſi re in iudicio ſacerdotum prius agitata, atq; cognita: Neq; enim aliter decuit, neq; omnino potuit, ſacerdos ille ſummus ſacerdotem ſedicioſum Regi deferre: niſi in iudicio ritè conuictum. Quapropter hoc Abiatharis exemplum eo ſpectat: vt diſcrimen inter Pontificialem, atq; Regalem poteſtatem norimus. non eò, vt ſacerdotem magiſtratui politico ſubiectũ eſſe doceamus. Dum enim Abiatharum Nathan ad Regem pro hæretico defert, ſatis indicat, atq; innuit

Mos hæreticorum in Citandis ſcripturis.

Abiatharis exẽplũ docet q; ſit munus regum.

cognoscendi criminis Pontificum præcipuas partes esse. cum autem Rex delatum Abiatharum relegat, atq; amandat, ostendit, & declarat, pœnas in criminosos exequendi regium munus esse. Non igitur Abiatharis exemplum sacerdotem infra Regem ponit sed sacerdotis summi, reges, atq; magistratus politicos, ministros, & satellites esse demonstrat. quando quidem, Pontificum iudicia, rectè, & ordine facta, aperte regibus hoc exemplo imponant necessitatem res iudicatas à sacerdote summo exequendi. Quę sanè vis, potestasq; sacerdotũ incredibilis, non tibi spectare videtur illud edictum: QVOdcunq; ligaueris erit ligatum, Quodcunq; solueris erit solutum? Quid enim, quæso, aliud est, illa ligandi, atq; soluendi summa potestas, quàm in tota dignitate principatus quidam eximius, quo nihil in quoq; genere nec potest, nec debet esse præstantius? I tu nunc Stancare, et si, aut per naturam fas est: aut per leges licet, subijce Petrum, Regi ac ligandum, liganti: soluendum q;, soluẽti: deniq; filium, patri: postremo ouem, pastori antepone. præsertim cum ipsum hunc Petrum, & clauibus cœlestis regni audias honestari: & illi inferorum portas palam videas subijci. Tum etiam potestatem tantam attribui: vt nemo omnium mortalium Petri ligandi, atq; soluendi subterfugiat legem. tanta vis, tanta autoritas, tantaq; potestas Petri est: vt nisi sub hoc pastore, agnus Christi censeatur esse nemo. Si eñ soli Petro pastori illud à Christo domino

Petri summa potestas nulli subiecta.

sto domino dictum est. PASce agnos meos: Omnibus reciprocando illud dictum est profectò. Vniuersi agni Christi, à Petro pascuntur: Si quidem ista reciprocantur: vt & si pastor Petrus sit: agni Christi sint. et si agni sint: sit pastor Petrus: qui, quod pastorem decet: ouium Christi villis vestitur: lacte illarum pascitur: atq; ouilibus gregis Christi sustentatur. cum tamen præter operas pastoricias, in ouile Christi hic, impendat nihil. Nullius enim regum, neq; Tyrannorum is pastor, fundus populus est. neq; vectigalis, neq; stipendiarius. neq; tributarius. nam Christus regum rex, hunc principem ministrum, ac vicarium, in ouili suo, statere illo, ex ore piscis deprompto, in perpetuum liberauit omnibus tributis, stipendijs, vectigalibus, fundis. tantum ille stater valuit, vt finem afferret in Petro omnium pontificiorum tributorum. Quamobrem, si neq; tributa regibus terræ, liberatore Christo Petrus pendit: sed omnes reges terræ tributarios habet, et, si omnes cuiusq; generis politicos magistratus iudicat, à nullo autem illorum iudicatur: quomodo is non princeps est? aut quomodo is Regibus terræ fasces submittet suos? cuius amplitudinem, quasi in altera libræ lance, si appendas, non solùm hos reges terræ, quos tu summo pastori impiè anteponis: sed terras, mihi crede, ea lanx, & maria deprimat necesse est. tanta vis, tantumq; pondus in principe Petro est. In quo vno, quoniam omnes sacerdotes includũtur publici, quis huic sacer-

Petrus liber à tributis.

Sacerdotes præstãt Regibus.

huic sacerdotũ choro, cœlesti, atq; eximio istos terrenos reges, humi serpentes, ac mortalia curãtes ante ponat? Qui nisi in ipso hoc prophetarum cuneo permãserint, carent, spiritu domini. non prophetãt. non mutantur in viros alios: sed feri, immanes, & inculti perstant esse Tyranni. Nec mirum, sacerdos enim summus, maximè est iudex: Est lux, est sal mundi huius: id autem est ipsorum regum, terrę, stulti enim sunt, pace vestra dixerim ô Reges, stulti inquã sunt reges terrę: cœci sunt, insulsi sunt, nisi sacerdotũ condiantur sale: et nisi illorum illustrẽtur luce: postremò nisi à sacerdotibus, vera, à falsis: recta à pravis: deniq;, mala, à bonis doceantur, discernere. Qui reges inquã, nisi neminem lęserint, honestè vixerint, ius suum vnicuiq; tribuerint: præsto adest sacerdos summus, censor morum, & magister veteris disciplinę, & seueritatis: qui delinquentem in officio regem notet, et, si sit opus, gradu moueat. Non Saul de regno decidit, notatione, atq; animaduersione Samuelis? Non Athalia Ochosię regis mater, crudelis mulier, summi sacerdotis iussu est interfecta? Non Oziæ regi execratione sacerdotis, læpra fuerat inusta? mitto vetera compluria, vt Heliam, cuius deuotione aduersus Achab, quinquagenarius vnus, & item alter ictu fulminis deflagrauit. vt Elizeum, qui probris, maledictisq;, reges impios vexauit. Propiora videamus, ac nostra: Simon Petrus, sacerdos summus, Ananiam, atq; Zaphiram, fraudatores agrorũ, ex autorita-

Reges absq; sacerdote nihil sunt.

Reges subiecti sacerdoti,

ex autoritate affecit morte subita. cuius vim, virtutemq; in prouincia Apostolica imitati successores, plerisq; Romanorum imperatorũ ob maleficia, imperium abrogarunt. Sed illud tamen est horribile, ac pertimescendum, quod nomen, vimq; imperij à Græcis hominibus, quondam nobilissimi, Pontifices Romanos, Petri successores, ad Germanos transtulisse videmus. Quod sanè tam miserabili casu, euentuq; rerum accidit: vt, cũ honore, insignibus, atq; ornamentis imperatorię potestatis, libertas quoq; vna Græcię ceciderit. Ex quo nimirum documentũ nos capere Deus voluit, quid esset nobis, regibusq; nostris extimescendum: si vestras Stancare hæreses secuti, à sacerdotio Christi, atq; ab illius sacerdotibus nos segregauerimus. qui eãdem nunc pestem patrię nostrę nefariè struis, & moliris, qua Græcia olim funditus corruit. quę Ariano vestro artificio inducta, Papam, Cardinales, atq; Episcopos dũ sibi subijcit, iura, leges, imperium, libertatemq; amisit. Tanta vis est in summo sacerdote in vtramq; partem, vel ad secundas res, vel aduersas. Sed iam ad propositũ reuertamur.

Pontifex Rom: imperiũ abrogauit Græcis.

Documẽtũ horribile.

CONfiteare igitur te insidias Regi nostro facere: ac mansuetudine illius immoderate ad errorem tuum abuti. cum nõ solum regem sacerdotibus prę ficias: verumetiam instaurandarum Ecclesiarũ prouinciam Regi nostro attribuas. et ad illam læpram Ozię è prouincia regia illum deuoces: qua percussus

STAncar abutitur mãsuetudine Poloni Regis.

fuit rex ille, dum Pontificiali muneri suam regalem inꝼcit manum. Ad Pontifices enim id muneris, quic quid est, referendum est: ad illum autem inprimis, cui ter denunciatum illud est. **Pasce agnos meos.** Quem omnes Christianę gentes summę veneratio-

Papænom nis nomine Papam appellant. Græco vtiq; è fonte verbo huc cadente παππάζειν enim blandiētium puerorum patribus vox est. vnde Homerus de Diomede ait illa:

οὐδέ ἑ, μίν παῖδες πόλι, γουνάσι παππάζουσι
ἔλθοιντ' ἐκ πολεμοῖο. &c. Hoc autem est,

Nam hunc cum pueri patres blando ore salutant
ex bello uenientem. &c.

Inde quoq; Latinis Papas pro patre est dictus, Altor pueri quo uerbo utitur autor ualde bonus, Iuuenalis in Satyra:

Timidus præguſtet pocula Papas.

AVGustinus certè, atq; Hieronymus vt illorum vsus ferebat, hoc nomine se se cōsalutare soliti. Non pudet Stancare te non solum apud inuictum, verū etiam apud doctum Regem, Papę nomen exagitare vt recens, atq; nouum: cum vetus sit, atq; priscum, ex ipsius etiā scripturę imis productum sensibus, Quô enim, quæso: tu alio nomine melius appellaueris pastorem illū summū, atq; communē omnium gentiū patrem: quam eo, quo obseruantes filij Græcorum

Cardinalīū nomē. more, indulgentem appellant parentem? Iam de Cardinalibus ipsis horribilis est tua cœcitas: qui in epistola Pauli ad Galatas scripta, Petrum, Ioannē, atq; Iacobum, colūnas in Apostolico cœtu à Paulo vocitari non

citari non animaduertas. Quid porro Cardinales ipsi, à Cardine rerum dicti, in illo orbis terrę consilio aliud sunt: quam columnę quædam: qui in sede Apostolica consilium suum plenum prudentię & fidelitatis, vniuersę Ecclesię præstant? Sed quoniam Regibus, atq; magistratibus politicis, summe, vt videri vis, studes: quàm in hoc ipso tibi constes, operepreciũ fuerit cognoscere: idq; ex eisdẽ Canõibus tuis. in quibus Polonum Regem, mille petis artibus. dũ enim illi Pontificialem potestatem defers: immo dũ illum Pontificibus dominum imponis: nullam auto ritatem, nullum honorem regium in Polonia illi reliquum facis. Nolo tanta in re criminationibus meis credi. verba Canonis tui adscripsi, quę apertè declarant, quam tu rationem cum Rege nostro habeas.

☞STANCAR in Canonibus.

Si iustum est petere licentiam à Deo malefaciendi: ita etiam licet petere licẽtiam à supremo Magistratu benefaciendi. sed à Deo non licet petere licentiam malefaciẽdi, Ergo neq; licentiã benefaciẽdi à superioribus petere debemus. &c.

Sume in manus Argumẽtum hoc Stancari, Sigismunde AVguste Rex, omnium, qui vnquam regnarunt in Polonia, regum paciẽtissimè, atq; lenissimè. omnis enim iam mihi tanto in discrimine patrię ad te conferenda oratio est. sume inquam argumẽtum hoc in manus, atq; eius argumenti complicatam notionem euolue: vt videas, quę insidię tendantur, ac parentur ab hæreticis, contra tuam autoritatem. di-

Ex hoc loco ad Regem ois cõfert oratio

gnitatemq; regiam, quę vt in Polonia penes nos sit. ei rei in primis hîc studet Stancar: Prius enim à Stã caro sacerdotium apertè petebatur: nunc autem regia maiestas tua cuniculis ab illo oppugnatur: eoq; res ducitur, vt Stancar tibi in Polonia pollicitus primas: ne secũdas quidem relinquat, neq; tercias. Sed quid dixi tercias? imo vero gradum tuum regium infirmat, tollitq; hic Stancar: dum quidem aduersus regalem tuam Celsitatem, tanq; laqueum huiusmodi nectit argumentum. Vt à Deo non licet petere licẽtiam malefaciendi, ita neq; licentiam benefaciendi à superioribus petere debemus. Itaq; hoc argumento inuito etiam rege, atq; reclamãte Senatu, ad id cuiq; tam priuatim, quàm publicè est aggrediendum: quòd quisq; optimũ factu esse duxerit. Igitur Rex in Polonia fuerit nullo vsui. si quidem Stancaro magistro, dux sibi in agendo, & autor in Polonia quisq; est. Nihil iam valebunt regia tua edicta, neq; interdicta Auguste Rex. ad omnia enim mandata, iudicia, ac iussa tua, hæreticorum libidini cõtraria: opponetur illud Stancaranum dogma. Licentiam benefaciendi à superiori potestate non esse petendam: sed cõtra nitendum: Cui sententię si erit apud te aliquid loci, & si illam pateris in tuo regno radices agere, atq; etiam propagari, rues altò à culmine ô Rex. potestas etiam tua regia locum vbi consistat, præ hac sententia reperire non poterit. ita tu contra vim, atq; audaciam hæreticorum à qua hærebis (vt aiunt) cedesq; hæreti

Regia maiestas ex Polonia tollitur.

desq; hæreticis illo refutatus, Licentiam benefaciendi à regibus petendam non esse. vnde ea lege in Polonia viues, vt si etiam ex hæreticorum libidine deflagratio ipsius regni, legumq; interitus cõsequatur: tamen in iubendo, & vetando imperium tuum, recusset ille idem noster benefaciendi prætextus. Et vt p mea debita, eaq; summa erga maiestatem tuam obseruantia, atq; fide agam tecum apertius. vide quæso Magnanimè Rex, ec quid tibi in tota autoritate regia, præ hoc Canone Stãcari superstit salui. caput esse arbitror, procurationis regiæ: nil noui aduersus leges in regno pati fieri. de hoc capite quantum commodum fuerit: hoc Canone Stancari hæreticorum quisq; detrahet, atq; deducet. dicet enim hæreticus id, quod iam omni simulatione, atq; dissimulatione sublata aperte isti dicunt, Legibus esse parendum ijs, qui non repugnant, neq; obsistunt pietati, quam ego colo. Valeant etiam (dicet idem) priuilegia regni: sed illa, quę potestatem benefaciendi mihi non adimunt. Quod si tu nomen tuum Regium contra apponas? id quoq; refutabunt hæretici hoc Canone, quem adscripsi.

☞ STANCAR in Canonibus.

SVpremo Magistratui, nempè Christo, parendum est magis, quàm locum tenentibus, qui in supremum regem sunt rebelles.

Videsne, Rex inuictè, vt tua maiestas, atq; excelsitas Regia, hoc Canone ex altissimo dignitatis gra-

du sternatur humi, extinguaturq́, ac deleatur funditus, vt nulla vis: nulla princeps regis autoritas, prę hoc Canone amplius apud nos extet salua. Atqui id istos velle, eoq́ rem ducere etiam ne argumentatio quærenda, aut coniectura tibi capienda est: præsertim cum videas, noua cõpluria in regno iniussu tuo quotidie magis, magisq́ à perditis hominibus fieri: tanta quidem impunitate, atq́ licentia: vt leges rogen: tedicta conscribant, conuentus agant: pecunias in commune conferant: duces & antesignanos designent. Quam autem id verum sit, quod dico, eosdem Canones Stancari citabo, testes, quibus id apertè fit.

Hæreticorũ intẽtio.

☞ Stancari CANON XVII.

VT hæc omnia in perpetuo cursu & bono ordine retineri possint, decernimus, ut singulis tribus mensibus pastores conueniant. hoc est, Synodi habeantur, in quibus de omnibus istis diligens fiat inquisitio. & omnia ordine, & ritè cognoscantur. Si enim numerus Ecclesiarum creuerit, ob commoditatem ad singulos sex menses transferentur Synodi. Cæterum in hac nostra ciuitate, ubi schola constituetur, singulis octo diebus in causa religionis conuenient ministri.

☞ CANON XXIX.

VOlumus, & mandamus, ut pastores omnes sibiipsis librum parent, in quo Catalogum omnium animarum sibiipsis subditarum, conscribẽt, ut sciant quinam, accedere possint ad prædicationes uerbi Dei, et qui non. ac qui ad sacramentum Eucharistiæ sint admittendi quiue non admittendi.

☞ CANON XXXI.

STatuimus, & ordinamus, ut aliquot studiosi ex prouẽtibus Ecclesiarum alantur, ut bonarum artium linguarum, & puræ theologiæ studijs imbuti, promoueri possint in pastores, & rectores Ecclesiarum, ut in illis pura doctrina doceatur, retineatur, & conseruetur.

CANON

☞ CANON XLI.

MAndamus, & præcipimus ut ciſta, ſiue capſula cum foramine in templo more maiorum collocetur, ad recipiendum eleemoſynas, quas populus pro gratitudine beneficiorum Dei, proq; neceſsitate pauperum Deo offeret. Hæc duabus clauibus munietur, quarum una apud paſtorem, altera uerò apud unum ex conſulibus ſit.

Animaduertis opinor Sigiſmunde Auguſte Rex, pro tua ſapientia præſtanti: vt ijs Canonibus obſcuretur, & euaneſcat ex Polonia regalis tua poteſtas. et vt imago nulla reipub: in tuo regno amplius relinquatur. En enim mandant, decernunt, iubent, ſtatuunt, adminiſtrant hæretici, in tuo regno quę volunt: nulla autoritate tua, neq; poteſtate interpoſita. Quid autem aliud eſt regem exautorare, maieſtatẽ minuere, dignitatem regalem diripere, deniq; coronã ipſam regiam ante regis oculos cõculcare: quàm publice pro imperio, velle, iubere, mãdare, ſtatuere, adminiſtrare, decernere in omni ſumma regni, ſine arbitrio, nutuq; tuo regio? Acerbiſsimum porro illud eſt, audaciam iſtorum perditorum eò iam eſſe progreſſam: vt librarium etiam legum ſuarum tibi penè inſultantes obtrudant vltrò: ac nomen tuũ regium ei libro inſcribant: in quo regalem tuam potentiam, celſitatemq; deſpiciunt: proterunt: & cõculcant: vt ita ante tuos oculos nomen regis cum veſtigio regni, non modo ex domibus, ac mentibus Polonorum: verumetiam ex iudicijs tuis, legumq; ipſarũ literis ab iſtis facilius deleatur, profectò (vt res adhuc ire

In Polonia Regalis poteſtas euaneſcit.

huc ire cæpit)verendum est ne hac licentia ad idem malum Polonia cito recidat:quo consanguinea nobis Boëmia olim perijt: et quo etiam nũc Germania afflictatur. Ac Venceslaus quidem Boemię rex Caroli IIII imperatoris clarissimi patris, degener filius:dum ad eiusmodi hæreticorum sententias obsurdesceret,nec ea,quę à catholicis viris monebatur,audiret,&de omni statu suo regio ipse periclitatus est: et Boemiam hæreticorum incendio,flammaq; deflagratam vidit.post cuius mortem cum Sigismundus Imperator,Venceslai frater,pereunti patrię,contra sectam Husianam opem ferret:homini vilissimo, ac Boemorum vltimo,Ioanni Ziscæ, ex Boëmia turpi fuga cædere fuerat coactus.ita hic Ziska postea quã hæreticorum manum feciſſet,sesq; regni spolijs adversus vim Imperatoriam confirmasset:nobilissimũ regnum diripuit, afflixit, dispulit. cuius crudele, ac domesticum latrocinium,exHusiana secta conflatũ, quantumnã fuerit , florentissimi quondam regni illius,etiam nunc testantur ruinę.Sed hæc vetera fortasse:nos propiora aspiciamus. Princeps illa gentiũ, atq; imperatrix Germania:nonne Lutherana hæresi,tãquam classico truci ,excitata fuit,ad bellum Carolo V,Imperatori suo faciendum? Quid illa multitudo hominum agrestium, aduersus dominos in eadem Germania per hæreticos congregata ex seruis:parumne exempli nobis est? vt dum adhuc salui, integriq; sumus, Stãcaranam sectam in Polonia opprimamus,

Vt Boëmia olim ita Polonia peribit jectis.

Germanię calamitas

primamus,& cum vestigio extinguamus,priusq; illa, tanq; turbine aliquo, aut subita tempestate, perueruertamur? Nam quanta iam procella patriæ nostræ ex hac secta immineat,qui turbo,& tempestas pacis, et ocij in Polonia inde sensim existat, quis non videt. Ziska Ziskas inquam hæc secta nobis parturit: et pariet, nisi ante sit occursum.

Vt autem Stancaranæ sectæ Auguste Rex os oculos,vultusq; agnoscas, effigiem & simulachrumq; eius tibi proponã, atq; in hac vna secta omnes sectas tam veteres q̃ nouas digito extento(quod aiunt) tibi ostendam. In hac enim Stancari secta exoletus viuit,vigetq; Arrius,dominatur Macedonius,regnat Nestorius: Aerius vero eius sectæ proram,tenet,atq; puppim. Nam & hic itidẽ(vt Stancar,Laicum adæquabat Clerico:ac ieiunia tollebat:& sacrificium fieri vetabat:purgatoriumq; delebat. Ex horum ergo colluuione natus Stancar, non erat eo contentus, quod à maioribus suis assumpserat: sed etiam ex recentibus hæreticis, plurima addens, atq; mutans, omnes flosculos carpit, ac delibat. Reliquum verò quod videtur,reprobat,ac repudiat. Caluinus dixit mediatorem Deo patre esse minorem. ex hoc ipso Stancar diuinitatem eximit:humanitatem aũt solam in Mediatore relinquit. Ad eundem modum in cœna quoq; à Luthero is idem sumit panem:reiicit corpus.à Zuinglio itidem.signa cœnæ sibi adsciscit, res

Imago Stãcarãæ sectæ.

autem signatas è cœna eiicit. cœnamq; corpore, & sanguine tam in signo, quam in signato cassam, & inanem, memoriolam quandam esse dicit: quondam passi pro nobis Christi. ita hic Stancar, non corpus, neq; sanguinem præsens, cum pane, atq; vino, vt Lutherus: neq; signa tractabilia rerum signatarum, ac creditarum, vt pertendebat Zuinglius: sed absolute panem cibarium, atq; vinum cuparium, in cœna nobis dat. Quãobrẽ cũ æquę ab hæreticis, vt à catholicis in cœna hoc suo memoriali pane se se Stancar segregasset: prę gaudio veri scilicet, reperti, illa lambica furens videlicet pòëta exclamauit.

Cœna Papistica mala,
Lutherana multò peior,
Caluini omnium pessima,
Cœna Stancari diuina.

STAncar cœnas damnat.

Atqui, hoc elogio Stancari multiiuges damnantur cœnę. Primum enim catholicę cœna ab Stancaro reiicitur, in qua sub panis, atq; vini specie, Christus integer piè percipitur. Deinde cœna reprobatur Lutherana, quę non speciẽ panis, neq; vini: sed ipsummet panẽ, atq; vinum cum corpore, ac sanguine Christi impiè coniunxit. Deniq; damnatur cœna Caluini, quę corpus, ac sanguinem ab altaris sacramento cœlo, terraq;, ausu sacrilego secludit. Quid porro de ipso epulone, ac cœnarum censore Stancaro sentiendum sit, ipse se indicat, & aperit nobis, cum in sua cœna præter panẽ, atq; vinum à propola, atq;

pola,atq; de cuppa,nihil à se requirendum amplius esse ante denunciet.vt ita reiectis catholicis,atq; hæreticis cœnis omnibus,sola Stancarana superſit cœna: cuius caput memorialis, isq; cibarius panis est.

Iam de Anabaptistarum hęresi,illum quasi arietem, quo regum politiam expugnet,producit,Licentiam benefaciendi à superioribus petendam non esse. Et ne forte absq; autore Christo mentiri videatur Stãcar:habet Lucã testem illo,Ecce duo gladij hic. Itaq; hic hęreticus cum se se tanq; scorpius posterior cum superioribus hæreticis,veluti cum scorpionibus,nexu,ictu,morsuq; copulauisset: & illorum pestilentissimis erroribus affingit,atq; annectit, pro cauda de suo, non pestilẽtem errorem aliquem:sed ipsammet pestilentiam.qua prægrauatę superiores hæreses,ad extremum omnes concidãt: et,quòd viperis est, vna hæresis nascens,alteram parturientẽ intesticio morsu conficiat. Nam sectarum ac viperarum eadẽ natura est: Vt enim vipera,viperam pereundo gignit. sic hæresis, aliam hæresim occasu parturit suo. et, vt vipera nascendo viperam extinguit,antequam ex ea nascatur: ita hæresis eam , ex qua nascitur , hæresim dudum circumrodit prius: quàm postea ligurit:totãq; deuoret. Grauis in Ecclesia sup cœnã Lutheri fuit hæresis: succesit huic Zuinglij longè grauior: quę genitoris sui Lutheri cœnam funditus extinxit: ita,vt ne vestigium quidẽ cœnę Lutheranę amplius iam vsq; extet. Horum postea impiorum partu edi-

ST Ancar Anabaptista.

Hereses ut periſimiles.

Luterihęresis extincta.

tus Stancar, in eodem scelere, & auum suum Lutherum: & patrem Zuinglium, vno morsu vtrumq; enecat. Cum enim hic ex Lutheri cœna, corpus: ex Zuinglij aũt, signum corporis sustulisset: suam memorialem cœnam fecit, quâ omnes, non solùm Lutheranę sed etiam Zuinglianę de medio tolluntur, ac delentur cœnę. quandoquidẽ in Stancarana cœna, præter panem, atq; vinum cœnę materiam, de vera cœna nihil supereſt amplius. Habemus ergo: magnanime Rex, Stancaranam sectam, immanium hæreticorum nocte satã, viperinis aculeis contra ipsos etiam parentes suos instructam. quã in hoc excitauit Deus, vt hac affligat nostrę ætatis hæreses occulto suo, atq; inteſtino morsu. Sed interea tamen dum se in viscera sua hæc Stancarana hæresis incitat: & quod viperę enectę fame solent, consumptis socijs reliquias ipsa suas, quasi caudam suam rodere: versusq; caput suum, ipsa se rodẽdo, ser pere ceperit: cauendum ac vehementer pertimescendũ tibi est: ne illius cruoris virus, in tuo regno venena spargat: vnde funesta pestis tibi, ac pernicies reipub: nascatur. Est em̃ dira lues Stancarana secta hæc. cuius ego vt faciem, atq; staturã maiestati tuę iam ostendi: ita breuiter quoq; parentes illius gentisq; incunabula, Maiestati tuę regię demõstrabo. vt ab ipsis incunabulis cognita atq; perspecta huius sectę malefica natura, atq; iniusta, cum vestigio illam agris atq; vrbibus tuis extermines.

Stancari secta unde sata.

DE OFFICIO REGIS, PARS SECVNDA.



FINGVNT GRÆCORVM Pòétę: quodam tempore terram informem, ac ſterilem fuiſſe: quę cum louis ſatu repente parere cepiſſet: alibi genuit pecudes, cæteraſq; beſtias: in Græcorum autem ſolo homines, monſtris permiſtos, generauit. hinc eñ Centimanus Briareus: hinc Centaurorum genus: hinc Charybdis vorax, ſuccinctaq; canibus ſcylla. quę monſtra, atq; portenta in Græcia naſci ideo finguntur: quod Græcia, vt homines artibus erudiuit, præceptisq; ſuis abſoluit: ita opinionum commẽtis eosdem oppleuit: errorumq; corruptis deprauauit. vt quos modo optimarum artium diſciplinis, Deorum, quaſi gẽtiles, effeciſſet: eoſdem fictis fabulis, in immaniſsima, ac fœdiſsima mõſtra mutaret. An tibi non videtur, pulſus cœlo Saturnus ab Ioue filio, ad parricidium hortari ſceleratos filios? quid captus à cœlitibus idem Iupiter, & coniectus in robur: parumne multitudinem armat aduerſus magiſtratum? Iam Ganimedis raptus, non pudorem ſoluit, legesq; naturę confundit? mitto eiuſmodi exempla cõpluria. Quę cum horreret Plato: pòétas ex ea ciuitate, quam animo fingebat, edicto ſuſtulit. Nec vero heroicis ſeculis tãtum, ante Chriſtum natum

Fabuloſe Græcia.

Platopelit pòétas è ciuitate ſua.

ſtum natum ſolenne in Græcia fuit falſo verum in-
ficere: verum etiam Apoſtolicis temporibus multò
magis. cum Sathan à nato, præſentiq; iam Deo Græ-
corum artificio homines ſtuderet auertere. cum em̃
Catholica fides in Græcia floret. ex Iudæorum gente, catholica fides effloreſceret, &
in alias etiam nationes redundaret: magnum illi at-
tulit incrementum Græcia. prima enim ea prouin-
cia fuit: in qua Chriſti Eccleſia placidum caput ſuũ
ex Iudæorum anguſtijs extulit. incredibiliterq; ex-
celluit. hic illa primùm collocupletauit ſeſe: & quaſi
domicilium vitę collocauit in ſuo: regnumq; nacta
Græcorum, Oceano, aſtrisq; imperium ſuum termi-
Hæreſes è fabulis ortæ. nauit. Cœterum ingenij veteris memor Græcia, fa-
bulas multiiuges, inſtituto ſuo, Euãgelio admiſcuit.
quibus candorem Eccleſię infecit: hæreticosq;, alte-
ros planè poëtas, contra Eccleſiam produxit. Quem
enim requirimus Homerum poetam mendaciorem
in fabula, cum hæreticorum Græcorum libros legi-
mus? aut quos Cyclopas, Briariosq; flagitamus, Græ
cos: cũ in manibus habeamus ab illis ortos Macho-
metanos, Turcas, atq; Arabas Agarenos? qui præter
formam & ſpeciem, nihil habent dignũ hominis na-
tura. Ac verò hæreſis nil niſi fabala eſt: vt enim in
Hæreſis eſt fabula. fabula, ſic in ſecta, quam hæreſim Græci vocant: nec
verę, nec veriſimiles res continentur. et vt à poëtis
fabella imprudentium adulantur animi. ita quoq;
ab hæreticis ſecta, tanc̃q; laqueo, capiuntur imperiti.
Proinde Paulus apoſtolus hæreſes, ac ſectas ineptas,

et aniles

60

et aniles fabulas appellat. Neq; enim aliud sunt, si ad viuum reseces: et ad rem ad veritatem attingas. Quid enim quaeso haresis habet Arrij, quàm fabulam execti coeli à filio Saturno, ne vis vlla inesset in coelo generandi, speciesq; simile producendi? Iam manes Persa, cum falsa imagine humanę formę Christum induit. non tibi videtur Circen, aut multiplices illas mutationes referre Iouis optimi, maximiq;, scilicet? Sed quid vetera repeto: quasi recẽtia, ac noua desint. M. Lutherus seruum arbitrium fingens, non tibi fatalem parcarum necessitatem, legisq; perpetuę, & æternę vim, quàm pronæam appellabant stoici: videtur in Ecclesiam introducere? Zuinglius etiam, atq; eius auditor Caluinus, terris Christum cessisse, à nobisq; abesse dum autumat: non hoc idem valet, ac si Thetis apud Homerum flebili narraret Achili, abesse à coelo Iouem, ad præstantes Aethiopas profectum? Iam ipse Stancar, dum memoriali pane, ac vino suam instruit coenam, non epulatur Homerico cum Ioue Iuuentate pocula ministrãte? Sed quid verbis opus est? haresis est nulla, quę Grecorum aliqua non exoriatur ex fabula. id quod grauis Ecclesię autor Epiphanius multis demõstrat exemplis in sectarum libro. quę vtiq; nil sunt aliud, quam merè nugę: et, vt Dauid canit, vanitates, & insanię falsę. quę pœna sunt peccati eorum hominum: qui plus sapiunt, quam oportet sapere. Neq; ecclesię communi sensu sunt contẽti: ac videri, quàm esse malunt sapientes.

HERESIS pœna peccati est.

pientes. Sed illud tamen in hæresibus illud mirabile
STAncar funestus. est: Nullam esse, quę speciem veri non præ se ferat, et quę fronte, & oratiõe terribilis non sit, parum attendentibus, et quasi grauiter lippiẽtibus: veluti hìc Stancar, quàm truculẽtus, quàm terribilis à fronte? vt vestibula, atq; aditus ad sectam facit illustres? vt fallẽdi viam munit speciosis causis, illustribusq; verbis? vt ne Paulus quidem ad veritatem potuerit melius. Quàm enim illa sunt magnifica, ac diuina, Reformatio, Ecclesia, Religio, Mores, Concilia, Patres. At in his verbis amplissimis quãtum lateat cœnum: inspice, ac moue, fœtebit. nihil enim Stancar olet ex Philosophia vera, atq; germana: nihil ex Mosis lege: nihil ne è patrum quidem disciplinis: quod vitam beet aut instruat communem. quicquid enim in Stãcarana secta est: pestis, ac pernicies regni tui est. neq; vlla tam detestabilis pestis est: quę non nobis ab hoc homine nascatur. quem si recipimus, & si eius funestam sectam inueterascere in Polonia, & corroborari patimur: primùm, Regiam maiestatem euerti: Deinde libertatem communẽ trucidari est necesse. Quomodo enim, aut maiestas tua consistet, aduersus gladium nostrum, ac benefaciendi prætextum? aut libertas nostra saluabitur: si in regno tuo, autore Stancaro, versa & mutata, in licentiam fuerint omnia.

Ac mihi quidem

☞ AC mihi quidem, si proprium, & verum Stan caranę sectę nomen quæratur: fatalis quædam inci disse in Poloniam videtur Chimæra, ex veteribus Grecorum fabellis composita. immo monstrum ve riius: ex contrarijs, diuersisq;, atq; inter se repugnan tibus hercticorum studijs concretum. quã vtiq; Chi mæram non solum poëtarum, verumetiam hæreti corum parens Homerus, festiuè depinxit hoc car mine. CHIMÆRA.

Ρσόδε λέων ὄπιθεν δὲ δράκων μέσση δὲ χίμαιρα
δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Id est.

Ante leo, caudaq; Draco: medioq; Capella.
Expirans ignis fulgentis, dira uenena.

Rugitus enim leonis ille est: A deo non licet pe tere licentiam malefaciendi: Quid enim à summo bono aliud quis petat, nisi bonum? At retro, atq; à tergo, sibilo mox subsequitur Draco, atq; illud re gno tuo inhalat virus. Licentiam benefaciendi à re gibus petendam non esse. Nihil enim rectè, neq; or dine, exq; repub: in ciuitate agitur, nisi patres auto res fuerint. Iam inter Leonem, & hunc draconem, illa occultatur Capra. Etiam inuito supremo magi stratu, inferiores debent in iurisdictionibus suis su as Ecclesias reformare. Quę sentencia quouis odore Caprino fœdior, tetriorq; est. tollit enim ciuilem di sciplinam: ac fenestram ad licentiam pandit, per quã ex libertate in seruitutẽ labamur. et, vt in dominatu, seruitus. in seruitute, dominatus apud nos constitu

atur. Sed tamen ego hanc exanguem,& æstuantem Chimæram, veluti Bellerofontes alter demonstratione veri,quasi præteriens mactabo: & ad raciocinationis calculos hoc commentum reuocabo. Dico itaq; huius argumenti hanc esse formam: Vt malefaciendi potestas à Deo petenda non est:sic nec à magistratu,qui minister Dei est. & vt à Deo benefaciendi potestas petenda est: nihil enim possumus sine illo: ita etiam à magistratu bene agendi, id autẽ est, ordine agendi potestas petenda est. aliter enim in agendo nihil ritè fiet. Hæc demum est argumenti huius recta explicatio, proporcione prioris, ac posterioris constans. quam tamen confundit Stancar: et quasi Deus,& magistratus contraria duo essent: inter se,ita illis, non, paria paribus:quod debebat.sed contraria,quod non licebat:attribuit. Tantum huius hominis in Dialecticis est acumen.Sed id tamen instituto suo facit Stancar.quandoquidem eius sectę vltimus finis est fallere: ac veras sententias falsis inficere:easq; vt aconita fuco oblita:specie veri contectas,porrigere incautis.vt his infatuati,à veritate deficiscant:& quod prædixit Paulus:posthabita doctrina sana,ad fabulas se conuertãt: ac veri fame enecti, pereant. Quod si in aliquo singulari homine priuato,ab istis peccaret,res indigna,& intoleranda videretur omnibus, nunc cum peccetur ab illis contra rempub: maiestatemq; regni: quo tãdem animo esse debemus in hæc mõstra,prodigiaq; naturę: quę nisi

Hæresis est fallere.

in vita mor

in vita mortalium essent: nullus Regum esset vsus, quorum officium illud est summum, Ecclesiam catholicam aduersus istiusmodi Chimæras, sartam, tectam tueri. Hæc finis, hæc calx, ad quam decurrant reges est: vt regnum Christi sartum, & tectum (vt aiunt) ab omni detrimento contra regnum diaboli conseruent. Quod regnum, diaboli inquam, ex hæresibus constat totum. Neq; enim Idololatræ iam supersunt vlli: quos vniuersos radicitus è terra extraxit Aduentus Christi: quod futurum Zacharias propheta tanto ante promiserat. Quicquid igitur in huius seculi insolentia verè pietati aduersatur: & cum Ecclesia pugnat: omne id hæresis dicitur: quam scriptura parit perperã intellecta. Quid enim aliud sunt Iudæi obstinati: quam hæretici quidam, ex Mosis lege procreati? Quid Agareni efferati, & immanes, totũq; genus Turcicum? quam assectatores veterum hæreticorum: quos ab Arrio generatos accepimus? Omnibus ergo hæreticis cum Ecclesia, à qua defecerunt: acerrimum bellum est susceptum. qui in belligerando ei rei studeant vni, vt ordinem Ecclesiæ peruertãt: vtq; eo ex Ecclesia sublato, ne reipub: quidem locum vllum in hominum vita relinquant. Aduersus hos sceleratos, & impios Dei, & hominum hostes: duces præstantissimi, reges ipsi diuinitus sunt cõstituti. qui pro Ecclesia Christi cõtra cuiusq; modi hæreses acriter propugnent: ciuitatemq; Dei, contra ciuitatẽ diaboli, omnibus suis opibus defendant.

Reges creãtur ad fugandas hæreses.

In Idololatriæ locũ succeßit hæresis.

Iudæi hæretici.

Ac regum

Ac regum quidem ipsorum Christianorum constituendorum, causa longè alia fuit: q̄ regum barbarorum. Nam apud barbaros ipsi reges sunt, quasi quidam fines: quò referuntur, et quorum causa omnia in regnis fiunt. Ita q̄ in Barbaris caput regni, Rex: placitum Regis, lex: iustum verò id, quod regi est vtile. At in Ecclesia Christi, contra sunt omnia: vt em̄ rex regni: ita regis Ecclesia est caput. placitū Ecclesiæ, regis lex est: id iustū regi, quod Ecclesię vtile. Postremò, in Barbaris dominantur Reges: in Ecclesia ministrant. ibi reges sunt domini: hîc verò reges sunt serui seruorum Christi. Quis dicit hoc? Rex regum, & dominus dominantium Christus: qui apd Lucam illo edicto Ecclesię suę, sanxit disciplinam.

Causa Regum constituendorum.

LVCAE XXII.

REGES gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent, super eos, benefici vocantur. Vos aūt non sic: sed qui maior est in vobis: fiat sicut iunior: et qui præcessor est, sicut ministrator. nam quis maior est: qui recumbit, an qui ministrat? nōne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum: sicut qui ministrat. In politijs ergo gentium excellentię Regum sunt, ac dominatus infinitę potestatis. quę nihil aliud est, q̄ acerba Tyrannis: quam Christus Rex è regno vt tolleret suo: om̄es curatores regni sui Pōtifices, prędides atq; reges vniuersitati regni sui subiectos esse voluit: iuniores q̄, atq; mīstros appellauit. quòd hi, nisi ad commodum, vtilitatem q̄ regni Christi referantur,

referantur, nullius amplius essent vsus. Et vt forma, atq; species, & quasi effigies Christiani Regis, ante oculos omnium regum, atq; gentium proponatur, tuosq; inprimis, qui tanq; alter Dauid bella Domini, domine mi Rex tu, præliaris: aduersus cuiusq; generis hæreses: ipsum te, tibi ostendam, excelsum prę cunctis Regibus terrę. vt vel ex te vno clarissimo, Christianissimoq; Rege intelligatur: quinam plenus, atq; perfectus Rex est: hoc tã graui dignus noĩe. et quod regibus ipsis à Deo assignatum sit munus. Idq; ego faciam, non vt te tibi demõstrẽ, optimè eũ ipse te nosti: quamq; iunior, ministratorq; in Ecclesia Christi sis, tua sponte meministi: Sed ne forte subitò aliquis hæreticorum autore Stancaro te amare incipiat, aut assentatione Stantari te delectari putet: ex ipso sacramento coronationis tuę ostendam proprium, atq; perpetuum regum munus esse: cum hæreticis bellum acerbum, atq; assiduum pro Ecclesia catholica gerere. ita, vt nisi hæreses oppugnarẽt Ecclesiam Christi: regum ipsorum nullus prorsus esset vsus. Peto autem abs te, domine mi Rex, quo mihi per te liceat contra istos fures, atq; latrones, regnicq; tui hostes: coronationis tuę capita explicare paucis. vt aliquando latrones isti desinant, venenatis sententijs, & inconditis scriptis: regales tuas aures offendere. cum illis à nobis fuerit demonstratum: vt Christo cum diabolo, sic veris regibus cũ hæresibus sempiternas inimicitias intercedere. Quod si Stancaro,

Poloniæ Rex regũ exemplũ.

Mantua fugitiuo,& alienigenę, funestos regno tuo Canones,maiestati tuę obtrudere licuit. cur non liceat mihi equestris ordinis viro, ac fideli tuo subdito:pro salute patrię,eminẽtem effigiem regalis præstantię,ex armario Ecclesię depromptã:contra Stançarum, reliquasq; regni tui pestes in oculis, atq; in auribus tuis collocare? mihi verò licet,ac semper licebit:egregiam meam erga maiestatem tuam fidem, omnibus meis dictis,scriptis,factis,testificari.

CORONATIO REGIS.

Quamobrem pone tibi illum ante oculos diem: cum viro Sigismundo patre, optimo, atq; glorioso rege: omnium ordinum consensu designatus Poloniæ Rex,à Patribus cõscriptis,equitibusq; Polonis: ad Ioannem Lascium Metropolitanũ,in ædem Stanislai deducerêre Cracouię coronãdus. Redi in memoriam, vt tum sacrario tenus comparueris, in illa multitudine Baronum, Equitumq;: vnde à Pontificibus exemptus è militari cœtu,ad Metropolitanũ Gnęznensem,vt minor,ad maiorem, vt filius ad patrem,fueris deductus:& altaribus religiosissimis admotus.Quo quidem tempore ex deductoribus Episcoporum alter: pro te supplex ad Metropolitanũ veniebat,atq; hæc illum postulabat.

POSTVLATIO.

REuerende pater, postulat sancta mater Ecclesia, vt præsentem egregium militem, ad dignitatem Regiam subleuetis.

Hæc postu

Hæc postulatio docet, Regum cõstituendorum Ecclesiam causam esse, quos ipsa ad vsus suos à Metropolitano postulat creari. qui solus egregios milites ad regium honorem subleuandi summam habet potestatem. Non ergo summus sacerdos subiectus est Regi, vt mentitur Stancar: sed rex ipse supplex est sacerdoti. quem etiam propterea aperto capite stãs, vt minorem decet: more patrio patrem appellat: ac dignitatem regalem à Metropolitano postulat, & expectat. quã illi nisi Metropolitanus dederit, aliunde regnandi copiam Polonus Rex non possit petere. Porrò aũt audiat Stancar: audiant hæretici: audiant Ecclesię hostes: quàm sublimi vertice Metropolitanus hoc loco feriat sidera: dũ quidem quasi in regum censu, ex autoritate in regem inquirit coronandum, illud à deductoribus Episcopis rogans.

Rex supplex sacerdoti.

METROPOLITANVS.

SCitis, illum esse dignum, & vtilem ad hanc dignitatem. RESPONDENT. Et nouimus, & credimus eum esse dignum, & vtilem Ecclesię Dei, & ad regimen huius regni.

En vsus regum, finisq; regię celsitatis Ecclesię vtilitas est: quę tantopere ad Ecclesiam refertur: vt nisi deductores Episcopi testificarentur: militem illum dignum, & vtilem in regnando Ecclesię Dei futurũ, egregius ille miles pro Corona, à Metropolitano, sine dubiò, referret repulsam. Nolo exaggerare verbis hoc in loco Pontificiale munus, rerum o-

Finis Regis celsitatis.

mnium præstantia excellens, malo id ex ipsius Metropolytani cohortatione cognosci. in qua plurima præcepta, eaq; salutaria, bene viuendi, ac bene regnãdi regibus tradũtur. quam ad verbum infra scripsi.

COHORTATIO METROPOLYTANI.

CVM hodie per manus nostras optimè princeps, qui Christi saluatoris nostri vice in hac re fungimur, quamuis indigni: sacram vnctionem, & regni insignia sis susceptur us: bene est, vt te prius de onere ad quod destinaris aliquantulum moneamus. regiam hodie suscipis dignitatem: & regendi fideles populos tibi commissos curam sumis: Præclarùm sanè inter mortales locum: sed discriminis laboris, atq; anxietatis plenum. Verùm, si consyderaueris, quòd omnis potestas à domino Deo est: per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: quodq; de grege tibi commisso ipsi Deo rationem es redditurus: Primùm pietatem seruabis: dominum Deum tuum tota mente, ac purò corde coles: Christianam religionem, ac fidem catholicam, quam ab incunabulis professus es, ad finem vsq; inuiolatã retinebis: eamq; contra omnes aduersantes, pro viribus defendes: Ecclesiarum prælatis, ac reliquis sacerdotibus, condignam reuerentiam exhibebis: Ecclesiasticam libertatem, nõ cõculcabis: iusticiam, sine qua nulla societas diu consistere potest, erga omnes incõcussè administrabis: bonis præmia, noxijs debitas pœnas tribuendo. viduas, pupillos, pauperes, ac debiles ab omni oppressione defendes: omnibus te adeuntibus benignum, mansuetum, atq; affabilem pro Regia tua dignitate te præbebis: & ita te geres, vt non ad tuam: sed ad totius populi vtilitatem regnare, præmiumq; benefactorum tuorum non in terris: sed in cœlo expectare videaris. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus in secula seculorum. AMEN.

Metropolitan' uice Christi est.

Hæc cohortatio, quid habet aliud: nisi Metropolytanum in coronando rege, vice Christi regis esse: ipsum verò regem patronũ pietatis esse propugnantem, pro Ecclesia contra hæreses: tanquã Dei ac summi sacerdotis ministrũ, qui propterea ad pedes Metropolyta-

tropolytani sese abnęit: manusq; eius venerabundus osculatur: & ab illo regio sacramento pro salute regni obligatur.

SACRAMENTVM.

EGO SIGismundus AVGustus, Deo annuente futurus Rex Polonię: profiteor, & promitto coram Deo, & angelis eius: deinceps legem, iusticiam, & pacem Ecclesię Dei, populoq; mihi subiecto pro posse, et nosse facere: atq; seruare: saluo condigno misericordię Dei respectu: sicut in consilio fidelium meorum melius potero inuenire. Pontificibus quoq; Ecclesiarum Dei condignum, vt Canonicum honorē exhibere: atq; ea, quę ab Imperatoribus, & Regibus Ecclesiis collata & reddita sunt, inuiolabiliter obseruare. Abbatibus, Comitibus, & Vasallis meis congruum honorem, secundum consilium fidelium meorum præstare. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Eat nunc Stancar, ac Polonum Regem tanto sacramento à Metropolytano inauguratum, pelliceat ad sese: atq; hoc iusiurandum, quod in Episcoporum cœtu, tanq; in Deorum concilio, ad aras magna voce iurasti extorqueat tibi de manibus. vt videlicet inductus à Stancaro, et Ecclesiam Dei deseras, quam tu quasi desponsam in fidem tuam recepisti, vt eam pacificam redderes: eiusq; antistites, sicut alteros parentes

Hæretici ad periurium reges hortãtur.

rẽtes,obseruares,& coleres:et eosdẽ Episcopos loco, ac ordine suo moueas:quorum manibus regnum ad te delatum possides. Quo etiam maiore odio sunt digni:qui aduersus hoc verisimum, pulcherrimumq; iusiurandum, libris editis ac per Poloniam dissipatis, ad manifestum periurium maiestatem tuam adhortantur:vt ei Metropolitano bellum inferas:cui coram Deo,& sanctis angelis eius, fidem dedisti: te Pontificij iuris defensorẽ,&,quasi patrimonij Christi,propugnatorem regno suscepto fore. Quid est Rex optimè maiestatem tuam lædere,si hoc nõ est? aut quo in maleficio vindicando officium tuum exhibit regium:si in hoc istorum nefario scelere contiscescet? contra quos tu vt athleta fortis oleo vnctus es,tanq; regni Christi regis particeps:Quod vnguẽ, tum admoneat te:tibi cum Christo & amicos, & hostes esse communes. Atq; huius mysterij illa sunt grauissima verba.

VNCTIO.

DEVS, Dei filius, IESVS CHRISTVS, dominus noster, qui a patre oleo exultationis vnctus est præ participib⁹ suis, ipse per præsẽtem sanctę vnctionis infusionem, Spiritus paracleti super te benedictionem infundat:eandemq; vsq; ad interiora cordis tui penetrare faciat. quatenus hoc visibili & tractabili oleo, Dona inuisibilia percipere,& temporali regno iustis moderationibus executo, æternaliter cõregnare.ei merearis. qui solus sine peccato, REX regum viuit, & gloriatur cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. AMEN.

☞ En vnctor, atq; aliptes tuus Metropolitanus, communicat

communicat tecum oleum illud lætitiæ: quo Christũ suum Deus vnxit præ participibus eius. vt tu veluti Dauid alter, spiritu Dei plenus, miles fortis euadas, ad prælia domini prælianda. Et quoniam te hîc vnguento mystico simílem reddidit Christo domino: cum Dauide aũt, cum Salomone, cum Iehu, atq; Azachele, & cum alijs veteribus regibus à sacerdotibus vnctis te adæquauit, & omni regali præstantia te illis parem fecit. An non tollendi, euellendiq; sunt tibi è regno tuo omnes aduersarij huius amplissimè Metropolicè potestatis, vnde Regalis tua nascitur potestas? præsertim cùm aduersus istos Dei, & hominum hostes porrigi tibi videas ab ipso Deo gladium Metropolitani manu.

REX Christo est

Hæretici iure tollendi.

GLADIVS.

ACCipe Gladium desuper altari sumptum: per nostras manus, licet indignas, vice tamen, & autoritate sanctorum Apostolorum consecratas, regaliter tibi concessum: nostræq; benedictionis officio in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ, diuinitus ordinatum, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. & memor esto: eius, de quo Psalmista prophetauit dicens: ACCingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. et in hoc, per eundem vim æquitatis exerceas: molem iniquitatis potenter destruas: & sanctam Dei Ecclesiam, eiusq; fideles, propugnes, atq; protegas. Neq; minus sub fide falsos, quàm Christiani nominis hostes execreris, & disperdas. viduas, atq; pupillos clementer adiuues, & defendas. desolata restaures: restaurata conserues. vlciscaris iniusta: cõfirmes bene dispositа. quatenus in hoc virtutum triumpho glorioſus, iusticiæq; cultor egregius, cum mundi Saluatore, cuius typum geris, in nomine, sine fine regnare merearis. qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit, & regnat Deus, per omnia secula seculorum. AMEN.

Metropolitanus.

Rex Christi typum geris.

Hæc est rega-

☞ Hæc est Regalis præstantię summa: quę tota gladio continetur. quo te, tanq; Imperatorẽ, populo suo præfecit Deus Opt: Max: ac vitam, fortunasq; nostras sub imperium, & sub tuam iurisdictionem subiunxit. Quo verò loco, quoue numero gladius regalis tuus esset à nobis habendus: docet Paulus, cuius verba adscripsi.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. Quę autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori, boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem, bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, tibi in bonum: Si autem malum feceris, time. non eñ sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit. ☞ Hoc loco ego à Stancaro, & à cæteris hæreticis, qui pontificię obtrectant potestati, vt cũ ea simul regalis potestas extinguatur: Ab ijs inquã quæro, si omnis anima, id autem est mortales vniuersi, hoc Pauli edicto subiecti esse debent potestatibus sublimioribus: quæ nam sunt illę potestates sublimiores. Quod cum constiterit, quæram adhuc ab istis, quo ordine dispositę, aut quo graduum discrimine potestates istę inter se sint ordinatę. Nec verò dubium est, cum constemus ex animo, & corpore, quin potestates quoq; diuinitus vtrinq; sint nobis datę, quarũ

De sublimioribus potestatibꝰ quæstio.

Duæ potestates tantùm sunt.

datę, quarum altera corpus, animum tueatur altera. Quoniam verò in homine præter animum, atq; corpus nihil est tercium, vnde extet homo: neq; potestas etiam in homine tuendo, præter has duas, vlla requiritur tercia. Porrò, quis negauerit animos hominũ per sacerdotes curari: eorum autem corpora reges tueri? in hosq; vsus gladios illos duos hominum vitę esse datos: quos satis esse regno suo administrando Christus apud Lucam definit? Quanta autem cũ autoritate hę duę sint in Ecclesia potestates, Christus ipse exemplo nos docet suo: qui & Caiapham sacerdotem: & Pilatum præsidem, moriendo pro nobis sine vlla exceptiõe agnouit. Sed cùm constet duas esse potestates in hominum vita: scire ex Stancaro, atq; ex eius paribus aueo: vtra vtri præstet. nã neutram præstare alteri, nefas est dicere. Etenim natura, tametsi quicquid genuit, perfectum esse in suo genere voluit: tamen nunq; res duas generat ita æquè pęrfectas, quin in eodem genere altera, præstet alteri: quemadmodum in potestatibus ipsis videre licet. Quamuis enim Deus, ac mater (vt ita dicam) rerum omnium natura, in tuẽdo homine has potestates duas copulauerit: ita, vt altera absq; altera ad conseruãdos homines non satis habeat firmitatis: tamen multum re ipsa inter se distant istę potestates: longeq; sunt diuersę, atq; seiunctę autoritate, gradu, loco, põdere. Quanta enim autoritate Pontificialem potestatem præditam esse arbitramur: quam Deus ore

Qui ordo inter potestates.

Potestas spiritualis primeps.

ſuo diuino inſtituit? cum tamen cæteras poteſtates humano opere, et, quaſi artificio alieno, inſtituerit. Ac veluti cùm hæc vniuerſa, atq; omnia Deus crearet, & generaret, in cæteris rebus inanimatis, atq; mutis fingendis, creandisq;, edicit illo modo edicta. Germinet terra herbam virentem: Fiant luminaria: Producant aquę reptile, & volatile. Producat terra iumenta, & reptilia, & beſtias terrę. At cùm ad hominis creationem eſt ventum, conuerſa oratione ipſe dicit: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli: & beſtijs, vniuerſæq; terrę, omniq; reptili. ita proximè homo creatus eſt à Deo: cætera verò inanimata, atq; muta: opere à Deo effecta, atq; edita ſunt alieno. Ad quem modum hę duę poteſtates à Deo creantur. Nam cùm Saulum regẽ creari Deus iubet: hæc de illo creando Samueli mandat. Hac ipſa hora quę nunc eſt, cras mittam virum ad te, de terra Beniamin: & vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrahel. Itemq; illud, in Dauide ad eundem Samuelem ait Deus: Surge, & vnge eum: ipſe eſt enim: Non tibi hic creari videntur reges peræquè, vt res terreſtres: in quibus creandis illę audiebãtur voces, Fiat: germinet: producat? At cùm ad creationem ſacerdotis eſt ventũ: mox cõuerſa fit creatio: Ipſummet enim os Dei, per ſe ſacerdotem creat. neq; in illo creando, vllius alterius vtitur opera. Ait enim ipſemet ad Noach, Fac arcam: ad Abraham: offer. ad Moſen,

Regis creatio qualis

Creatio ſacerdotis

Moſen, imola. qꝫ idē eſt, ac ſi diceret, ſacerdotio fungitor, vel eſto ſacerdos. Sed hæc vetera, veniamus ad noſtra: Chriſtus Ieſus, Deus, & dominus noſter, in euocandis ſacerdotibus ad Apoſtolicum munus, hac voce ipſemet vtit̄: Sequere me. Neqꝫ verò cū eis, quos euocabat: per alios, quod quidem facit in regibus, ſed ipſe poteſtatem ſuam communicabat. Nam ipſemet poteſtatem illis eīciendi dæmonia, & ægrotos curandi attribuit. ipſe claues dedit. ipſe conſecrauit, ipſe prædicatum eos miſit. Poſtremò ipſe illis vniuerſum humanum genus ſine exceptione ſubiecit: atqꝫ autoritatem ipſorum apud omnes imperatores, atqꝫ reges plebesq́ꝫ præmio, ac pœna ſanciuit. ait em̄, Qui crediderit, id eſt vobis: & baptiꝫatus fuerit, id eſt, à vobis. ſaluus erit. Qui autem non crediderit, id eſt vobis, neqꝫ baptiꝫatus fuerit à vobis, condemnabitur. Horribilis oratio quam horreant, & reformident reges, atqꝫ Tyranni omnes: ī̄s inprimis qui hæreticorum ſuaſu ſegregant ſeſe, ac ſacerdotibus ſe anteponunt. Ergo Rex per hominem fit, ſacerdos autem proximè naſcitur ex ipſo Deo: tantumq́ꝫ hic præſtat regi, quantū erectus homo præſtat animanti ad paſtū abiectę. Etenim, vt homo imago Dei eſt: ita ſacerdos imago Chr̄i eſt: et vt homo tuet̄ terras, ita ſacerdos tuetur reges: corporatarum rerum cuſtodes. Et vt ſacerdos interioris hominis tutor. ita Rex exterioris eſt defenſor. Et, vt infinita in pauca conferam, ſic res eſt. Quantum Deus præſtat ſacer- *Quantum ſacerdos præſtat Regi.*

doti: tantùm ſacerdos præſtat regi. Iam ſi cauſam, ortumq; vtriusq; gladij conſideres, Pontificalē gladium ad reconciliationis miniſterium exequēdum, regalem autem ad ſeceſsionem populi cōercendam ab ipſo deo fabricatas eſſe dices. Nam ab Abel iuſto, ad Samuelem vſq;, nullus fuerat Rex in Dei populo. Viuebant omnes ſacerdotibus, hoc eſt ipſi Deo, ſubiecti. At cum ſacerdotale regnum Iſrahel cōtempſiſſet, & ad morem gentium barbarorum regem à Samuele flagitaſſet, audi quid Samueli dicat Deus.

1 Reg: 7. Audi vocem populi in omnibus, quę loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt: ſed me, ne regnem ſuper eos. pro qua ſanè ratione Samuel acerrimè populū

1 Reg: 12. illum reprehendit. Inuocabo inquit, dominū: & dabit voces, & pluuias, & ſcietis, & videbitis, quia grāde malum feceritis vobis in conſpectu domini, petentes ſuper vos regem. Hinc planum eſt, ſeceſsionem populi à ſacerdote, id autem eſt ab ipſo Deo, regum conſtituendorum cauſam fuiſſe: vt etiam legū. quas propter transgreſſores latas eſſe Paulus ſcribit. Neq; verò malum eſt eſſe, vt legem, ita quoq; regem: ſed illud ipſum malum eſt, quod à rege, atq; lege in nobis eſt vindicandum, nempè ipſa impietas, atq; ſcelus, ad quę naturaliter ferimur proni. quę niſi amore iuſticię, quod ſacerdotis inſtinctu fit, ex hominum animis radicitus tolluntur, atq; extrahūtur, præſto adſit rex armatus cum gladio neceſſe eſt: qui pœnarum metu homīes ab his malis refrenet: et ſub

Cauſa inſtituēdorū Regum,

ſacer-

sacerdotis, hoc est, sub Dei potestatem gladio suo re-
digat. aliter salua hominum vita non erit. Cum i-
taq; reconciliatio hominis cum Deo sacerdotis pro-
crearit, reges autem ipsos hominum secessio fecerit:
tanto sacerdos præstat regi, quãto reconciliatio præ-
stat secessioni. Qui quidẽ rex diuinitus eo datus est,
vti iã diximus, ne homines vi naturę & ingenij mo-
bilis elati: contempto sacerdote summo, secedant ab
Ecclesia: & se à sacerdotibus dei secernant. Ac ve-
teres illi, admodum antiqui, vtramq; potestatem spe-
culati: duobus luminaribus, quibus illumĩatur ter-
rarum orbis, has duas potestates assimilabant: Soli,
videlicet, sacerdotem: Lunę verò regem æquiparã-
tes. Idq; iurè & meritò: vt enim sol diei, ita sacerdos
humanę prælucet menti. Et vt Luna præest nocti:
ita rex præest corpori: quod habemus cum iumen-
tis commune. Et vt Solis radijs incẽsa illustratur Lu-
na: ita Pontificiali fulgore regalis illuminatur pote-
stas. Deniq;, vt Luna, nisi aduersum intueatur Solẽ,
obscura, & cœca fit: ita regalis potestas, nisi sacerdo-
tem respiciat: euanescit, candoremq; suum amittit.
Cuius rei exemplum Regibus, vtile in vtranq; par-
tem, proponitur in Saulo rege: qui, quàmdiu Samu-
eli sacerdoti parêbat: quã diu illius dicto audiẽs erat:
tamdiu externorũ bellorum, hostiumq; victor fuit.
De quo illud est in libris Regum elogium: **Saul confirmato regno super Israhel, pugnabat per circuitum aduersus inimicos eius. contra Moab, et**

Sacerdos quo præstat Regi.

Duob⁹ luminaribus duæ potestates similes.

1 Reg: 14

filios Amon.et Edom. et reges Soba. et Philistaeos.et quocunq; se verterat/superabat.etcet.

At postq; ille sacerdotem prę se pro nihilo duxit:illiusq; iussa contempsit: protinus abiectus est à Deo: ne amplius rex esset. ita is, dum se à sacerdote segregat,& dum ipse sibi in agendo autor est:eodem momento & regno exuitur: & spiritu Dei destituitur. De quo illud horribile documentum regibus extat perscriptum. SPIRITVS autem domini recessit à Saul:& exagitabat eum spiritus neq; à Domino. En Luna auersa a` Sole repente deficit, candorem q; amittit.En ouis,absq; pastore perit:en ex summo rege euestigio mancipium fit Sathanę. Quò exemplo ante oculos posito, quis negauerit verũ esse id: quod nos supra diximus: sacerdotem rege præstantiorem esse,autoritate.Dei enim creatura est:Gradu,proximus enim Deo est: Loco,autor enim regis est: Pondere,alter enim Deus regię celsitatis ille est: Iam si dans accipiente (Christo teste)beatior,potior q; est: quomodo sacerdos rege antiquior non erit: cùm nihil rex sacerdoti de suo addat ad munus: contra verò is ipse rex nihil habeat,quod non sacerdoti referat acceptum? Quamobrem qui regem anteponit sacerdoti: is anteponit creaturam, creatori: ouem, pastori:filium,patri: postremò, hominem,Deo ipsi, cui sacerdos pro manu est: quà gladium de suo altari promptum, in manum regi Deus tradit, vt eo ipso rex altare Dei defendat:neq; patiatur cõtra hoc ipsum alta-

1 Reg: 16.

Sacerdos oĩbus reb⁹ superior Regę.

70

ipsum altare, vnde gladium sumit: aliud altare erigi aduersum. Ex qua ratione satis constat: regem nihil aliud est: nisi defensorem armatum, custodemq; altaris. Hoc est sacrorum, religionum, cæremoniarumq; omnium, sacerdotis manu diuinitus constitutum. ob id, vt si qs ipsum hoc altare violare pergat: præsto adsit vindex cum gladio rex: qui aduersarium, hostemq; huius altaris feriat, & repellat. Hîc ordo Rex inuictè harum duarum potestatum est inter ipsas. quem ordinem qui turbat, aut peruertit, ordinationi Dei apertè resistit: regio gladio propterea ferien dus. Quod luce palam facit Stancar: cui parum visum fuit: contra ordinationem Dei Regem sacerdoti, hoc est gladium altari, anteponere: nisi etiam subiectę tibi nobilitati, singularē suum attribuisset gladium, gladio tuo aduersum. qui cùm ex altari à sacerdote depromptus non sit: non est à Deo hic gladius tercius. neq; locum inter duos Christi gladios, sublimioresq; ab illo institutas potestates, habet vllum. sed extra ordinem, immo contra ipsum ordinē, à diabolo sumptus: per hæreticos, in tuo regno distringitur cruentus: vt eo fortior vtatur: vt vis religionibus, legibus, atq; moribus afferatur: vt sanguine ciuili Polonia repleatur: vt gladius tuus regius hoc ipso gladio hæbetetur. Postremò, vt vis hæc omnis, potestasq; regalis, quam sumpsisti de Pontificiali manu, eripiatur tibi, extorqueaturq; de manibus extinguatur, ac deleatur. Hîc sensus est, hæc mēs

Rex custos Altaris.

STAncar ordinationi dei resistit.

Hæreticorū gladij.

huius

huius Stancarani gladij Rex inuictè: tuum latus mucro ille petit: quem tu in Rempub: tuam, iam districtum primò quoq; tempore nisi retundis: & nisi illū à iugulis nostris reijcis: omnes sublimiores potestates in Polonia hic gladius peruertet: maiestatem tuā minuet: et hanc coronam, quę tibi, capitiq; tuo Pontificiali manu est imposita, conuellet, ac labefactabit. vt illam in Græcia olim: nuper verò in Germania, atq; in Anglia labefactauit: totamq; conuulsit. Sed vt huius Stancarani gladij aciem omnibus regnis, regibusq; æqualiter horribilem, & formidolosam cōmodius ante oculos maiestatis tuę, regniq; tui proponam: vt excelsitati tuę à Metropolitano diadema fuerit impositum, demonstrandum paucis prius est.

DIADEMA REGNI.

Metropolitanus. ACCipe Coronam regni, quę, licet ab indignis, Episcoporum manibus capiti tuo imponitur: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quam sanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis intelligas significari. & per hanc te participē fieri ministerij nostri non ignores. Ita, vt sicut nos in interioribus pastores, rectoresq; animarum intelligimur, ita, et tu cōtra omnes aduersitates Ecclesię Christi defensor adsistas, regnicq; tibi à Deo dati. & per officium nostrę benedictiōis in vice Apostolorum, omniumq; sanctorum regimini tuo commissi, vtilis executor, perspicuusq; regnator, semper appareas. vt inter gloriosos athletas, virtutum gemmis ornatus, & præmio sempiternę fœlicitatis coronatus cum Redemptore, & Saluatore nostro IESV CHristo, cuius nomen, vicemq; gestare crederis: sine fine glorieris. Qui viuit, & imperat Deus, cum Patre, & Spiritu sancto in secula seculorum. AMEN.

REX ad Christum pertinet. ☞ NVNC iam galeatus minister Dei es, nunc & ad Christum, spinis coronatū regem, propius ades: cum non

cùm non ſolùm vnctus: verùm etiam illius inſtar co
ronatus, Rex in Polonia compareas. Quę ſanè Re
galis galea, redimita cruce, à Metropolitano capiti
tuo Nomine ſanctę Trinitatis ideò imponitur: vt il
lud nomen quòd eſt ſupra omne nomen: contra eius
nominis hoſtes, hac armatura defendas. Inſignis
eſt hæc galea Sigismunde Auguſte Rex: & cono ſuo
terribilis tuis, tuorumq; hoſtibus: quę in tuo ſacra
to, & Eccleſię Chriſti dicato capite, illis eximijs vir
tutibus: quaſi gemmarum fulgentibus globis, illumi
natur, Sanctitate, Honore, Fortitudine. Quid porrò
eſt ſanctitas aliud? q̃ ſcientia Deum colendi? Quid
honor, q̃ perpetuę virtutis præmium? Quid forti
tudo, q̃ virtus propugnans pro æquitate? At vide,
vt in hac ornamenta honoris, regaliſq; præſtantię:
hæc Chimæra Mantuana inuadat: caudaq; verrat:
ac depaſcat omnia? iubet enim Stancar Canonibus
tibi dicatis, vt Papam, cęteroſq; ſacerdotes publicos,
tanq; idololatras auerſere. quod non eſt aliud, niſi
vt particeps pro eo, ac es profeſſus, miniſterij Ponti
ficialis ne ſis. Mandat idem, vt regnum Papę deſe
ras: hoc eſt, vt honore regio careas, à Papa ſeiunctus:
qui Sexingentis ab hinc annis maioribus noſtris ius
coronandorum regum dedit: & ob cædem factam,
qua Staniſlaus Cracouiẽſis Epiſcopus, à Boleſlao re
ge eſt occiſus, interceptum idem ius Polonis ab inte
gro reſtituit. Iam fortitudini tuę in eisdem Cano
nibus, quantas inſidias hîc ſtruit? qui te à Papa, tãq;

GALEA *inſignis.*

Sanctitas.

Honor.

Fortitudo

Stãcar ho norẽ Regi ũ cõuellit.

à Samuele ſummo ſacerdote per fallacias ſegregat: et in Saulum impium imbellem, ac timidum regem mutat. vt nullum opus efficere, nullum munus officij regij exequi poſsis: ſpiritu fortitudinis in receſsione caſſus. Sed animaduertere huius monſtri fallendi aſtutias. Hoſtem enim Stancar ſacerdotibus idololatriæ nomine profeſſus: ad honorem tuum regium ſenſim obrepſit: ac lauream illam, maiorũ noſtrorum, magnitudinis animi, & fortitudinis præmium ſemper virentem, atq; in tuo genere maximè inſignem: ad eundem modum depaſcitur: quo in Oriente, atq; in Occidente hæc eadem laurea apud alias gẽtes, ab hæreticis eſt depaſta. Velim verò Rex magnanimè, vt à teipſo, atq; à tuo regno ampliſsimo, latiſsimoq; pauliſper animum abducas: & ipſum orbem terrarum animo, & cogitatione percurras: nullum regnum offendes, quod ſpecie, atq; vſurpatione pietatis, hæreſis non vaſtauerit: afflixerit, pdiderit q. Prima ab Oriente occurret tibi Græcia, fabularum (vt ante dixi) hæreticorumq; mater. vnde extitit Arrius hoſtis ferus, & immanis Eccleſiæ: qui Papam Romanũ primus apud Græcos idololatriæ reum fecit: quaſi is Conſubſtancialitatis profeſsione tres deos pro vno Deo coleret. Et cùm mobilis Græcia, verſutiſsimi hominis arte ab autoritate Papæ diſceſsiſſet: infinitas ſectas ex Arriana ſecta generauit. à quibus vaſtata, vexataq;, & nomen, & ornamenta imperij amiſit. Tranſi nunc Occidentem verſus, &

Stãcarper ſacerdotes Regem petit.

Hæretici ſpeciepietatis regnaeuertunt.

Germaniã

Germaniam aſpice: quę plauſibili oratione Lutheri, primò contra indulgentias: deinde contra iurisdictionem Pontificialem excitata: vſq; ad Smacaldicã coniurationem producta fuit. tantumq; ſimulatio illa, ſpecieſq; Lutheranę pietatis apud Germanos valuit: vt niſi Deus ipſe imperij Romani cuſtos, repugnantibus (vt ita dicam) fatis: Carolum Imperatorẽ ſeruaſſet: in tam exicioſa coniuratiõe Imperatori Romano fuerat pereundum. Sed tamen & diſputatio Philippi Melanchtonis de iure gladij: cuius autoritate in Canonibus nititur Stancar: fugitiuorum bellum aduerſus iuſtos dominos conflauerat. Quo bello Germania ſuis penè conuulſa ſedibus: non procul aberat ab interitu, occaſuq; imperij. Quid Anglia? cùm illi primò Lutheranam peſtem Martinus Bucerus, Deinde Zuinglianam Petrus Martyr inhalaſſet: non falſę pietatis imagine ſtirpem, veterũ Anglię regum è regno ſuo euulſit? non ornamenta regij honoris, coronam, ac ſceptrum amiſit? quę eo ſtatu nunc eſt: vt non amplius gens illa regnum: ſed latrocinium apertum ſit, itaq; dicatur. Mitto Boèmiã, quàm etiam nunc ſcelere hæreticorum videmus laceratam. Tantùm valet hæreſis ad regnorum peſtẽ: vt nullum regnum ſit, in quo hæreſi aliquid eſt loci, quod non labatur: ruatq; funditus. quę exempla documẽto nobis ſint: vt hæreſes fugiamus: easq; ex Polonia exterminemus prius: q̃ regnum, regniq; coronam amittamus. Et cùm cæteras ſectas ſtudioſè vi-

Stancari hæreſes fugiendæ.

tare debemus,tum Stancaranam maximè: quę, veluti Chimæra, Dracõibus à tergo succĩcta,atq; multis feris,et immanibus belluis comitata: oẽs,quę vspiam viguerunt hæreſes, ex toto orbe terrarum collegit: et eas in Poloniam introduxit: totaq; Sarmatia diſſipauit.Cui idem propoſitum eſt quod & veteribus, recentibusq; hæreticis: vt ne in Polonia ſacerdos, neue rex vllus eſſet, qui more maiorum, in optimè cõſtituta repub:noſtra:iuſtè,& legitimè imperaret. Aduerſus quẽ regni tui hoſtẽ,aut hoc remedium eſt ſolùm,quod tibi pariterq; cũ ſceptro à Metropolita no datur.aut ſine hoc quidẽ contra hanc pniciosam, exicialẽq; Chimæram nobis ,pfuerit. profectò nulla medicina inueniri poterit,qua regnũ tuum ſanetur.

SCEPTRVM.

Metropolitanus. ACCipe virgam virtutis,atq; veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios:terrere reprobos:errantes viã docere:lapſis manum porrigere: diſperdere ſuperbos, & releuare humiles. et aperiat tibi oſtium IESVS CHRISTVS dominus noſter,qui de ſemetipſo ait: Ego ſum oſtium,per me ſi quis introierit:ſaluabitur.qui eſt clauis David:& ſceptrum domus Iſrahel:qui aperit, & nemo claudit: claudit,& nemo aperit.ſitq; tibi auctor, qui eduxit vinctum de domo carceris. ſedentem in tenebris:& vmbra mortis: & in omnibus ſequi merearis eum,de quo Dauid prophetą cecinit: Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi,virga æquitatis,virga regni tui. Et imitando ipſum diligas iuſticiam, & odio habeas iniquitatem. quia propterea vnxit te Deus, Deus tuus,ad exemplum illius,quem ante ſecula vnxerat oleo exultationis prę participibus ſuis,IESVM CHRISTVM,dominũ noſtrum,qui cum eo viuit,& regnat Deus in ſecula ſeculorum. AMEN.

Regum officium: HOC Sceptro deſcribitur Regium officium,atq; munus,vt eius Sceptri illi ampliſsimi videantur eſſe fructus: diſperdere ſuperbos: & releuare humiles. Sed tamen hoc Sceptrum nec virebit, nec florebit,

nec fructus edet vnq̃: nisi regibus Arontis, Samue/ lisue porrigatur, ac tradatur manu. Nam vt sceptrũ, siue virga, quamuis arida illa, præter cæteras virgas in solius Arontis ante Mosen efflоruit manu. sic in eorum regum manibus regale sceptrum semper flo/ret tantum: qui in sacerdotis summi sunt fide. à quo mox quàm se reges auerterint, aresçit illorum Sce/ptrum: ac viriditatem suam amittit. E' vestigio em̃ peruersi, ac præposteri reges euadunt. Terrent pios, mulcent impios. Errant cum errantibus: labuntur cum lapsis: Disperduntur cum superbis: aduersantur humilibus. et, vt in pauca conferam: virgines reddũ/tur illę fatuę: quę extinctis lampadibus à ianua cœ/lestis regni repelluntur. Ac re vera reges qui se se à fide summi sacerdotis segregant: nil nisi fatuę virgi/nes sunt. carent em̃ fide: carent suorũ charitate: nulla spes bona prælucet illis ĩ posterũ: diurno, ac noctur/no torquẽtur metu: ardent libidine, dũ in ꝓditis re/gnis cõscientia illos cruẽtat, ac perfidia lacerat: quo/rũ etiã regum, ꝓpterea sępe exitiales fiunt exitus: cùm nulla certa, stabiliq̃ cũ sibi subiectis cõiunguntur fi/de: idq̃ iure ac meritò. Etem̃ rex suũ, qui spernit su/periorẽ: dignus non est, cui obediat inferior. Qui er/go Rex rectè, & ordine regnare volet: Sceptrũ por/rectũ Pontificiali manu tenebit: iusticiã colet: hoc est eũ sacerdotẽ verebitur, venenerabiturq̃. atq̃ eius au/toritate nitetur, à quo hæc tãta ornamẽta dignitatis, atq̃ potestatis accepit. Neq̃ em̃ aliud est iusticia, quã

Rex perit á sacerdote segregatus.

Iustitia quid. affectio animi, suũ cuiq; tribuẽs: et societatẽ cõiuncti onis humunę munificè, & æquè tuẽs. Cũ ergo sacerdos ille summus succedat apd nos ĩ Christi locũ: quomodo reges illi summè iniusti nõ erũt: apd quos, tãq; apd filios, hic sacerdos, parentis grauitatẽ nõ obtinebit? Neq; eĩ suũ tribuẽt ei, cũi oĩa summa debent: societatẽ etiã coniunctiõis humanę dirimẽt: dũ ab eius autoritate discedũt: cui soli mãdatũ etiã de regibus illud est, **Pasce agnos meos.** Quãobrẽ, vt reges benè ac beatè regnẽt: iusti sint necesse est. id aũt est, Ius vnicuiq; tribuãt, p dignitate cuiusq;. Inprimis aũt summo sacerdoti, à quo autorantur, atq; in regali solio collocantur infra scriptis verbis.

INTHRONIZATIO REGALIS.

Metropolitanus. STA, & retine amodo locum tibi à Deo delegatum, per autoritatem omnipotentis Dei, & per præsentem traditionem nostram, omnium scilicet Episcoporum: cæterorumq; Dei seruorum. ac quantò clerum sacris altaribus propinquiorem prospicis, tantò ei potẽtiorem, in locis cõgruis honorem impendere memineris. quatenus Mediator Dei, et hominum: te mediatorem cleri, & plebis, in hoc regni solio confirmet: & in regnum æternum secum regnare faciat, IESVS CHRISTVS, dominus noster, REX regum, & dominus dominantium. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus, per omnia secula seculorum. AMEN.

HIC est ille altissimus Regię Maiestatis gradus, in quo reges manibus Dei ad defensionẽ Ecclię collocãtur: quẽ sanè gradũ, sedẽ Dauid Gabriel angelus apud Lucã appellat. è qua sede p sacerdotes, atq; reges Rex regũ Christus ecclĩam suã gubernat: eamq; inter tot casus, totq; discrimina rerũ integrã, incolumẽq; cõseruat. Itaq; summus sacerdos cõmunicanda sede hac, cũ regibus tria illis præscribit, Primo eĩ

'SEDES DAVID.

Tria sunt notanda Reg.

ſtare, ac retinere locũ à Deo ei delegatũ regẽ iubet. 1.
hoc ẽ firmũ,& ſtabilẽ,& cõſtãtẽ intuẽdo regio mu-
nere, quod mandatũ traditiõe Põtificiali habet, regẽ
iubet eſſe. Deinde idẽ ſacerdos hac eadẽ traditiõe, re-
gibus demõſtrat: Pontificialẽ gradũ regali gradu al- 2.
tiorẽ eſſe in eccl'ia Dei. Si quidẽ ad altare ſummi Dei
Pontifices, ſacerdotesq; publici oẽs cæteri, ꝓpius ad-
ſunt: quàm ipſi reges, imperatoresq;. Poſtremò idẽ 3.
ſacerdos docet in Chriſtiano regno regẽ aliud non
eſſe, niſi Mediatorẽ cleri,& plebis, hoc eſt, eo regẽ in
eccl'ia eſſe, quo plebs ſemp inſolens,& ad errorẽ pro-
cliuis, in officio, regalis gladij cõtineat metu: ne ab
eccl'ia deficiat, & à veritate deſciſcat: ſed vt ſubiecta
ſacerdoti ſummo. autoritatẽ regis ſequat: ad vitã ſo-
briè, iuſtè, pieq; degendã ĩ hoc ſecl'o, cõmuniõe iuris,
et ſocietate vtilitatis ĩter ſe cõiuncta. Idcirco etiã col
locato in regali ſolio rege, mox illa fauſta Metropo
litani huic regno ſubſecuta eſt ꝓcatio. **Firmetur ma** *Fauſta ac-*
nus tua/et exaltetur dextera tua/iuſticia/et iudiciũ *clamatio.*
ꝓparatio ſedis tuę. Ex qua ſanè coronatiõis ꝓca Rex man⁹
tiõe ſolẽni: liquet regẽ, ita manũ eſſe ſacerdotis: vt ſa *ſacerdotis*
cerdos manus ẽ Chri. firmat em̃ hoc loco, et q̃ſi creat *eſt.*
ſacerdos regis manũ, et vt exaltet manus hęc, iuſtici-
aq;, et iudicio eluceat ĩ ſede hac ipſa Dauid, vota facit SAcerdos
et optat ſupplex. vnde apparet ita pæq; ꝓportiõe ſa- *Compara*
cerdotẽ cũ rege cõpari, vt Chr̃9 cũ ſacerdote cõpar. *tur ſacer-*
vtem̃ ſacerdos auulſus à Chr̃o, ius, nomẽq; ſacerdotis *dos cum*
amittit: ita rex ſegregat9 à ſacerdote nihil retinet de *Rege.*
veri regis lege. Cũ em̃ vniuerſus Chriſtianor̃ cœtus

vnũ q̃ddã ſub capite Chriſto ſit corpus: in q̃ ineſt cor vnũ, & anĩa vna: videtur mihi in corpe hoc, Chriſtiani reges, p manibus eſſe: ſacerdotes aũt in eodẽ corpore oculorũ inſtar eſſe. vt em̃ niſi oculus videat, p̃monſtretq̃, quo ſe manus recipiat certa nõ ſit, quam in partem vergat, aut q̃ modo ſurſum, verſus, vtroq̃ palpitet: ſic reges, niſi prelucẽte, ac prẽmonſtrãte ſacerdote, quõ, aut vndè, quomodoue inſtituant opus ſuũ regiũ, illudq̃ pficiant, & abſoluãt, non vidẽt: ſed in oĩbus decretis, actis, ſentẽtiis, atq̃ conſultis ſuis fluctuant. non gẽtes illis habent fidẽ: nõ proceres, atq̃ optimates regni pacẽ ſub illis agitãt: vt ita ſacerdote, quaſi parẽte ppetuo orbatus rex, facilè ĩcurrat in odiũ, offenſionẽq̃ populi, vnde poſtea exiſtũt ſeditiones in regnis inſanabiles. vt ergo in Chriſti corpe, ſub capite Chriſto, oĩa ſint apta, & inter ſe conueniẽtia mẽbra, in explẽdo ſuo munere, vtatur ſacerdote, p manu. et rex viciſsim ſacerdotẽ, vt oculũ ſeq̃ſuũ. et vt ad hãc cõiunctionẽ, & ad naturalẽ cõmunitatẽ tuendã eſſe natos reges, atq̃ ſacerdotes ſciamus. ĩ ſacrificio publico ſummus ſacerdos de viuo, ac vero Ieſu Chriſti corpe cũ rege coronato, et ĩ ſede regali iã collocato cõmunicat: quo hac cõmuniõe diuini ſacramẽti, ſacerdos ille, regẽ doceat: certoq̃ illi ſuadeat: regũ, atq̃ ſacerdotũ vnũ, et eũdẽ Chriſtũ caput eſſe. et vtroſq̃ ad prẽdicationẽ Euãgelĩ, atq̃ ad ppagationẽ eccl'iç diuinitus ĩſtitutos eſſe. id q̃d hac ſolenni præcatiõe declaraẽ, quã adſcribã. eſt em̃ diuina, et digna, quę ĩ auribus regũ ſemp habitet. Epi

CORpus Chriſticõmunicatur cum Rege.

EPILOGVS CORONATIONIS, SIVE DE PRISCA FIDE RETINENDA.

PARS LIBRI TERCIA.

DEVS qui ad prædicandum æterni regni EVangelium Romanum imperium præparasti, prætende famulo tuo SIGISMVNDO AVGVSTO REGI nostro arma cœlestia, vt pax Ecclesiæ nulla turbetur tempestate bellorum. Per Dominum nostrū Iesum Christū. &c. METROpolitan?.

☞ HAEC est extrema manus, quę diuinitus iuchoato, atq; absoluto regi à summo sacerdote imponitur: cuius illa summa est: vt Ecclesia in tutela & præsidio regum armatorum posita nulla tempestate bellorum turbetur. Ac re vera imperium Romanū delectum à Deo est: ad prædicandum Euangelium cœlestis regni: quo imperio omnes Christiani reges comprænduntur. Nam quo tempore vniuersus terrarum orbis in potestate ac ditione Romana cōtinebatur: dimissi tum erant fortunati piscatores illi, circum omnes cœli plagas: ad diuulgandum, prædicandumq; Euangelium, Domino cooperante, vt scribit Marcus, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Nec alio nomine diuulgati Euangelij tū appellabatur fides: quàm fidei Romanę nomine: de quo pręclare scriptum est, illud ad Romanos à Paulo, PRI- *Finis Regij muneris ultimi?.* FIDES Romana.

S

lo, PRIMVM quidem, gratias ago Deo meo, per IEsum CHristum, pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. &c. Tanta existimatio, autoritasq; vnius vrbis Apostolicis temporibus fuit: vt ea fides, sine qua impossibile est placere Deo: Romanę vrbis nomĩe vulgò esset insignis. idq; adeò, vt si quis ex Iacobo tum quæsiisset: quam fidem Hierosolymitanos doceret: Respondisset, sine dubiò: Romanam fidem se Hierosolymam docere. idem respondisset in Achaia, Andreas: in Asia, Ioannes: in India, Thomas: in Perside, Iudas: in Æthiopia, Matthæus: in Phrygia, Philippus: Postremò in Græcia Paulus idẽ interrogatus respondisset. Quòd ego factum fuisse reor, autoritate vrbis, & Petri. Nã vt vrbis Romę inter gẽtes vniuersas: ita inter Christianos oẽs Petri nomen diuulgatissimũ fuit. Quare, vt Apostoli communione fidei, ac religionis societate cum Petro, Apostolorum principe, se cõiunctos esse docerent gẽtes: id quod etiam Paulus apud Galatas facit: & florentissimę, potentissimęq; vrbis nomine, maiorem autoritatem illorum haberet, prędicatio: fidem Romanam se tradere gentibus, prædicatores illi rogati respondebant. vt ita pietatis Christianę summam, quę tum primùm apud gentes ab illis præferebatur: ad principem Petrum referrent. qui in ea vrbe autor, & magister erat publice religionis: quę vrbs omnibus gẽtibus imperabat: & quę caput mundi erat. Neq; verò vrbs illa princeps, atq;

domina

domina gentium, atq; nationum omnium esse nunc desiit: immo si recta reputemus via, longè pulchrior, florentior, potentiorq; vrbs illa nunc Petri sede est: quàm fuerat olim Romuli stirpe. Nam regum, consulumq; Romanorum temporibus, Roma omni idololatriæ turpitudine fœdata fuit: quæ nunc sanguine agni abluta: noui luminis candore, inter Ecclesias relucet: ac fulgore Christi illustris est. Ita antiquitus vrbs Roma fornicata, cum cunctis regibus terræ, apertè ipsi Diabolo pudicitiam substrauerat: quæ nūc eiecto è ciuitate Sathana, sanctitates omnes, et religiões cunctis regibus terræ vicissim propinat. Spiritum em̄ sanctum Roma per Patriarchas, Metropolitas, Episcopos, pastores, atq; doctores, à Petri sede profectos: cum vniuersis Christifidelibus communicat: absq; quo, impurū, impudicumq; est: quicquid intra hominem, & extra illū est. Iam, si maiestatem ipsius imperij spectes: nunq̄ humilitas illa regalis, cōsularisúe, cum dignitate vrbis præsenti de amplitudine contēdet. Nam cùm duæ sunt res: quæ amplitudinem ciuitatum faciunt: nempè imperij ipsius fines, atq; leges: qs negauerit vrbē Romā, Regū, Cōsulum, Cæsarumq; seculorum humanarum vniuersitate potitā nunq̄ fuisse? nam & Scythia Barbara, magis Romana exaudiuit, quàm expta fuerat arma: Et vltima nunq̄ Romanis seruierat Thulæ. Deniq; Romani veteres intra Occeani ostium tantùm imperium quærebāt, nihil suspicati esse extra hæc, quæ

Vrbis Romanæ præsens amplitudo.

Descriptio Augusti. adire poterant: vniuersa. At Christo rege nouo nato, mox vniuersus cẽsetur orbis: & in prouincias describitur: additumq; à Luca, insigne illud verbũ est πᾶρα οἰκουμένη. quod verbum in omni habitabili terra ritè ponitur. Quòd si quis ad imperium Romanum quod tùm ab Augusto censebatur referat: falsum erit. Nunq̃ enim Augustus Cæsar vniuersas regiones habitabiles tenuit: id cùm res ipsa tũ magna autoritate homines literati, & Historici testificantur. Et quoniam non potest teste Domino solui scriptura: ista descriptio habitabilis orbis, ad futuram propagationem Euangelĩ: non ad præsentem, qui tùm sub Augusto fuerat Romani imperĩ statum, referenda est: ad quam propagationem Euangelĩ respectans Christus ad suos hæc dicit: ET ERITIS mihi testes, in Hierusalem & omni Iudæa, & Samaria, et vsq; ad vltimum terrę. &c̃. Huc itaq; respiciens spiritus Dei, quo impulsore Lucas hęc scribebat, descriptione illa Augusti, vniuersam terram habitabilem comprehendit. quod ex illo imperio, quod certis tùm finibus erat circumscriptum, Paulopost oceano longius Euangelium diuulgandum propagandumq; foret. Itaq; patrum memoria, multę, nonnullę nostra, insulę in oceano sunt repertę Quę nouus orbis appellantur, veteribus etiam Geographis ignotus: in quem nuper vrbs Roma, autore Romano Petro, Colonias suas misit: ac nomini, imperioq; Romano adiunxit, vt iã huic ipsi Petro magis, quàm

Nouus orbis.

Augusto

Augusto liceat gloriari, legibus Romanis vniuersum habitabilem orbem esse ita subiectum, vt quo fines: eodem leges quoq; Romanę pertineant. Nam Augusto Cæsare leges vrbis extra Italiam prolatę, nusq; valebāt. At nunc ĩdem fines Romanarum legum, qui imperĩ, sunt: ita vrbs Roma ex sacrario Sathanę, facta est oraculum commune terrarum orbis: Vnde instinctu diuino, afflatuq;, funduntur oracula Deum ritè colendi. hinc enim præcepta eduntur iustè, ac sobriè viuendi: hinc præsidiū vitę benè, ac beatè degendę aduersus hæreses promitur. et ne multis obtundam, Quicquid ex illo Petri loco dicitur, lex vitę est: quam fert sacerdos is, qui non vni vrbi alicui, sed communi orbis terrę oraculo præpositus putatur. cuius responsa, vetustate nulla euanescunt: quibus in responsis quicquid fundatum est, id fixum, ac stabile est. Contra verò quod in Petri Romani responso non fundatur, id semper erroris vicio variatur. Quamobrem, meritò in hac precatione solenni Romanum imperium ad prædicatiõem Euangelĩ delectum esse dicitur, non illud antiquũ, et vetus: quod ostio occœani partem aliquam claudit: sed hoc nouum, & recens latissimum, amplissimumq;: quod extra ipsum etiam occœanum propagatum, astris terminatur. quod non Romulum fratricidam, sed Christum, seruatorem fratrum suorũ: habet autorem. Iure igitur illa Augusti descriptio Apostolica prædicatione prolata, amplificataq;, Ro

ROMA *oraculum orbis.*

Romanũ imperium Euangelio destinatũ.

manę Eccleſię definitur nomine. quòd in vrbe Roma ea ſemper viuat, vigeatq; fides, quę nunq; variatur: nunq; à prima ſtirpe ſua degenerat: ita, ex illa celſa Romana ſede, Petrus, gẽtes, moribusq;, cultuq; differentes, communiõe fidei inter ſe coniungit: nec vnq; patitur illum vnum tenorem (vt aiunt) credendi in Deum, in vrbe Roma intermitti. Quę laus Romani Petri, æqualis temporum Chriſti Dei eſt. Nã vt ſemel cæpit, ita ſemper à ſede Romana, tãq; à fonte, ad hæc vsq; tempora fides Petri perennis fluit.

Fides Petri perennis in urbe ſola.

Quę vtiq; laus haud ſcio an illi ſit cum cæteris Apoſtolis communis. Quære Hieroſolymitanos, num fides ſemel apud ipſos prędicata à Iacobo, irrupta adhuc maneat? eodem modo quære Aſiam, Phrygiam, Macedoniam: poſtremò, ne ſingula commemorem, quære Græciam, num autorum, magiſtrorumq; ſuorum ad hanc diem integram, atq; incorruptam retineant illę gentes fidem? negabunt, contaminatasq; ſe eſſe hæreticorum perfidia conquærentur. At pete Italiam, interroga Romam, num alia vnq; vrbs illa tẽtata ſit fide, præter hanc, quã ſemel accepit à Petro? Negabit: & à Simone illo Galilæo, vsq; ad hũc Pium Quartum Italum: continua ſeriè ſuccedentiũ ſibi inuicem Epiſcoporum Romanorum: demõſtrabit, ſe eandem nunc Pio IIII Pontifice tenere fidem: quam tenuit olim Simonis Petri Pontificatu. Quod ſi maieſtas tua ſcire vult: vnde nam iſta ſit vnius vrbis tanta, tamq; incredibilis in fide Chriſti conſtantia: Audi

Fidei Romanæ conſtãtia unde?

tia.

tia. Audi Christum dominum, confirmantem Simoni Petro. SIMON ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum: Ego aũt rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Causa igitur eius constantiæ est, Christi oratio pro Petri fide: vt ea (videlicet) fides, quam Simon Petrus semel docuit: semper maneat in vrbe Roma: et vno, quasi tenore, nũq; interrupta fluat, ad supremum vsq; mundi diem. At cùm idem Simon Petrus iubetur suos cõfirmare fratres: planum est, à cæteris fratribus Petri extra vrbem Romam prædicatam fidem, tantopere labasse: vt inde acerbissimi hostes, in ipsummet confirmatorem Petrum: assiduè redundent, vt longè acerbius & olim, & nunc à fratribus vexetur Petrus, quàm à Claudio, Caligula, Nerone, Diocleciano, Decio, Iuliano: et ab alijs immanibus tyrannis, olim vexatus fuerat. omnes enim isti fugitiui, qui bellum Ecclesiæ Christi faciunt: Romani Petri fratres fuerunt: ex eodem Deo patre, & Ecclesia matre generati. Nam, vt veteres prætermittam illos homines impios, Arrios, Macedonios, Eutychetas, atq; Nestoras: isti recentiores nostri Lutherus, Philippus, Zuinglius, Caluinus, Bulingerus, Brencius, Lysmaninus, Stancar: mitto alios: quid aliud sunt: quam Petri, vel infideles fratres, vel filij degeneres? qui à Romano Petro baptizati, instructi, & ornati, non tantùm à Petro patre accepta substantia discesserunt, in regionem longin-

Hæretici assidui in Petrum hostes.

longinquam: sed etiam opibus, & copijs paternis impium bellum intulerunt suo patri, vt eum de omni gradu honoris: ac dignitatis deturbent ac dejciant. Quære enim ab his paulisper vbinam fuerint baptizati? respondebunt in Papatu: hoc est in Petri Pontificatu deinde Euangelium vnde nacti, & quo autore illud Euangelium esse sint edocti? respondebunt, à Papatu. Quis enim quæso alter istos degeneres filios ex aqua, & spiritu Christianos genuit, nisi Papatus? Quis librum hunc scriptū, Euangeliū esse eos docuit: nisi Papatus? quis concilia, interpretes, atq; patres veteres illis exhibuit nisi papatus? Et tamen papatus tantùm abest, vt perinde, ac de hominum est vita meritus: laudetur, vt ab hæreticis etiã vitupuretur. adeò, vt per summum dedecus, homines in papatu degentes, Papistę ab istis vocentur. In quo tamen ipso stuporem hominū attende: qui papatum magnopere se laudare non intelligunt tum: cùm in papatu homines, inuidioso nomine, & infamię subiecto, contaminant. Vt enim Grammatista, atq; Sophista apud Græcos in malis non esset, nisi Grãmaticus, atq; Sophus esset in bonis: is enim Grãmatista Græcis dicitur, qui Grammaticum profesus, barbare loquitur: is verò Sophistes, qui non veritatis, sed ostentationis, aut quæstus causa philosophatur ita, si Papista probri, & crimini est: Papatus, à quo papista dicitur, laudi, ac decori dabitur. vt papista iure vocetur is, qui in Papatu omne tempus

Papistarũ nomen.

ætatis im

ætatis impurè, flagicioſè, impieq; viuit. contra verò papatus, caſta, atq; pura, religioſaq; vita definiatur neceſſe eſt: vt ita poſterius priori conueniat. Ac per me quidem licet, cuiuis Papiſtas reprehendere: non ſecus, quàm Grammatiſtas literatis reprehẽdere ius eſt: id quod à nobis libris etiam editis ſæpe eſt factũ. Sed quę tandem inuidia fuerit, vt ob Grammatiſtas, Grammaticum: & ob Sophiſtas, Sophum: ita ob papiſtas, male audire Papatum, ad ſalutem humani generis diuinitus in Eccleſia comparatum? Quem ſi ex Eccleſia tollas, nihilo plus agas, quã ſi des operam, vt nullum in ciuitate conſulum: nullum in regno regem relinquas: qui præſit, ac multitudini moderetur: quo minus plena inconſideratiſsimè, ac dementiſsimè temeritatis, hæreticorũ incitata furore, ruat, ac feratur præceps. Sed hic aſtus hæreticorum eſt proprius, vt cùm re uera Eccleſiam oppugnent, verbo tamen id ſe agere ſedulò diſsimulent. tanta eſt apud omnes Eccleſię religio, vt apud hoſtes quoq; eius ſanctum ſit nomen. Quamobrem hæretici, ne omnium ſceleratiſsimi videantur eſſe: ſi Eccleſię matri ſuę, à qua ſunt orti: bellum aperte faciãt, proprium nomẽ Eccleſię, alio proprio nomine cõmutant. Nam pro Eccleſia, cõtra Papatum ſe belligerare affirmant: cùm tam Eccleſia, quàm papatus eiuſdẽ ſint rationis nomina: & ad populum Dei æqualiter attineant, ſed tamen nomen Eccleſię eſt illuſtrius, Papatus autem eſt obſcurius. Nam hoc nomen nuper ad-

Papatus ſanctiſsimum nomen.

Ecclesia et Papatus idem.

modum ex contentione Lutherana natum est: cùm alij se Papę, alij verò Lutheri, studiosi esse profiteren tur: itaq; vt papatum, id aũt est partes Papę, non aũt Ecclesiam ipsam hæretici videantur petere, sub Pa patus nomine: Ecclesiam ipsam adoriuntur astute. idemq; faciunt: quod faceret is: qui regem è regno exterminans, regnum se conseruare velle diceret. Quid enim Ecclesia fiet? aut quę ratio illius erit, Pa patu ex Ecclesia euulso? cùm enim Ecclesia ciuitas sit quædam supra montẽ posita: quomodo ciuitatis no mẽ habebit, nullo proprio, ac perpetuo prædita ma gistratu. Igitur hæretici Papatum ex Eccleſia dum tollunt: Ecclesię magistratum tollunt. postremò ci uitatem Dei de monte illo excelso deijciunt. Ita isti dum se videri Ecclesię patronos studeant: hostes il lius deprehenduntur esse. per quos id agit Sathan, vt Papatu de præsidio Ecclesię deiecto, fluctibus se ditionum Ecclesiam Dei obruat: vnaq; cum illa iu sticiam, pietatem, religionem, pudorem, pudicitiam, iura, leges, regna, imperia, cæterasq; omnes sanctita tes, quibus communis continetur vita extinguat, ac deleat. ipsum deniq; humanũ genus vniuersum, man det, ac tradat orco. Id ego quàm vere scribam ex alio rum exemplis liquet planissimè. Gens pulcherri ma, florentissima, atq; potentissima quondam fuit Græcia: ex qua immissis hæresibus Sathan, Papam primò eiecit: postea reges expulit: deinde libertatem Græcis eripuit: Postremò Machometi, quouis orco

Cũ Papatu Ecclesia perit.

Interitus Græciæ

fœdiori

fœdiori hosti, Græciã addixit: vnde, quasi ex astris, cùm ea gens cum Sathana ima caderet sub tartara, ijsdem gradibus conuulsa suis sedibus perijt. Non has easdem artes contra Romanum imperium, per Occidentis hæreticos Sathan nunc vsurpat? vt Occidentem quoq; ad consimilem ruinam adducat. Docet Lutherus Papatum à Sathana Romę esse fundatum: eius autem auditor Stancar libris editis, persuadet tibi: vt multam salutem, & Papatui & Romę: dicas. Sit ergo persuasum id regibus, inprimisq; tibi maximo, & potentissimo Regi: Papam nullum esse, qui Simoni Petro in Pontificatu succedat. Nullus etiam sit Archiepiscopus, Papę subiectus: neq; Episcopus, Archiepiscopo: neq; presbyter, Episcopo. vt ita, quasi incisis in sacerdotio gradibus, ruinę periculũ sacerdotibus struat Sathan. quæro, num in eo is acquiescet? & eo erit contentus? et num nocendi iam faciet finem? minimè omnium. Nam mox sublatis è ciuitate Dei sacerdotibus, ad vos reges, qui proximo loco estis, transibit: ac vos incautos inter oscitantes opprimet, euertetq;. Excitabit enim nobilem illum Grammaticum, Philippum Melanchtonem, per quẽ vestras regales vnctiones reprehendet: producet Iohannem Pomeranum, quo autore probabit, fatali necessitate rerum futurarum, vel ad ferendum, vel ad paciendum homines cogi: vt nihil iam sit vestro regio consilio, apud homines loci. Quid enim de eo deliberas, quod fieri, vel non fieri omnino est neces-

Occidens cõuellitat sectis.

MELANCHTON POMERANVS.

Lutherus. se? Iam illa Islebica excetra M.Lutherus,impulsore Sathana contendet, nullum etiam esse vsum regalis gladij.Nam neq; foris bellandum cõtra Turcas est. ne Deo resistamus ipsi qui nos per Turcas flagellat. Neq; domi malefici, sceleratiq; regali gladio ferian? tur.seruum enim arbitrium est:necessitate cuncti re? gimur:& tàm ad bene, quàm ad male agendnm ex= terna vi,non etiam arbitrio nostro impellimur. Si ergo istis autoribus,Sacramento,vnguento,atq; gla dio spoliabuntur reges,quo erit rex? aut quis illius fuerit vsus? si regalis vnctio,impia: iurisdictio,faci? norosa: potestas regum iniuriosa in Deum est?

Cũ sacer= dote stat et cadit Rex: Libertas: Sal?: Vita eterna.

Animaduertis Rex magnanimè, vt, cum sacerdote, vna Sathan regem per hæreticos euertat:et,vt,cum stante sacerdote:stet Rex.& cum cadente,pariter ca dat. Sed tamen, tercium gradum ad interitum vt habeat Sathan dispositum, auscultа paucis. Sublato enim ex Ecclesia sacerdote,atq; rege,tanq̃ lupus oues absq; pastoribus,miseras inuadet plebs.Mox em̃ per Anabaptistas,omnium rerũ sine vlla exceptione cõ? munitatem in plebem, auidam alieni,introducit: o? mnes,videlicet, homines conditione,iure, dignitate esse pares:nihil esse quod priuatim alicuius in ere sit. non esse seruum,non dominum in regno quenq̃ vel illa scriptura teste. In diebus illis,non erat rex in Is= rahel:sed vnusquisq;, quod bonum erat in oculis su= is faciebat.Qua sentencia,quasi flabello, agitatis po= pulis:quid aliud agit Sathan,quàm vt plebes comit=

tat inter

tat inter ipsas: vt dum de libertate cum dominis pugnant, libertatem amittant: tetramq; seruitutem seruiant, an hoc cuiusmodi esset, rusticano bello Germania experta non est? quo in bello misera plebs, Sathanę astuciis per hærticos in dominos incitata, non modo libertatem, sed etiam vitam amisit. Verū enimuero quartus, & vltimus restat adhuc gradus exitij, quo assiduè colliniat Sathan: ipse nempè mors, vermis, & ignis æternus: in quem, vt nos neq; ille det præcipites, ante omnia è sacerdotio Christi nos eximit, per Lutherum: docetq;, vt sacerdotium: ita neq; sacrificium amplius vllum esse, extra illud sacrificium crucis: quo semel ab omni exempti sumus culpa. postea idem serpit longius, ac per Zuinglium, illam cœlestem alimoniam, neq; corpus, neq; sanguinem esse: sed signa corporis, atq; sanguinis pane, ac vino deffinit. vt ad istum modum sublato ex Ecclesia sacrificio, materia quoq; eius sacrificij cum vestigio tollatur: hoc est verum corpus, & verum sanguis Christi. Postremò turbatio, violatisq; sacris, ac prophanis rebus omnibus, Sathan huc tendit, vt petram illam, supra quam ædificata est Ecclesia Christi, expugnet, & euertat. Nam per Caluinum infra patrem ponit filium, sacerdotium Christo ab æterno attribuendo. Per Stancarum verò virginem matrem Dei param non esse deffinit. Mediatorē Christum humanitate tantum esse asseuerando: quorum vterq; minuit Christum. Nam si ab æterno filius sa-

Rusticanū bellum.

cerdos est Dei, par Deo non est. Si aũt Christus Mediator humanitate tantum est, virgo mater θεοτόκος non est. Neq; verò linguę hæreticorum istorum audiendę sunt potius, quàm sententię, quę huc tendũt, vt probent Christum verum Deum non esse.

Iamne sentis sapientissimè Rex: quibus gradibus deducimur ab hæreticis in impiorum sedem, & sceleratorum regionem. vbi iusto Dei iudicio apud inferos impĩ, & scelerati hæretici perfidię suę æternas dant, & dabunt pœnas. Nam amisso sacerdote, amittimus regem: amisso rege, amittimus libertatem: amissa libertate, amittimus vitam æternam.

Sectarum finis est euertere regna.

Idemq; nobis accidit quod ĩjs solet: qui ex supremo scalę loco confractis, & incisis gradibus: graui casu ad ima reuoluuntur, & afflicti pereunt, spe omni salutis sublata. Quamobrem cùm luce palam videas: in tuo regno eo spectare sectas: vt regiam maiestatem tuam segregatam à sacerdote minuant: ac solitariam omnibus regię potestatis ornamentis nudent: par est, vt ipsum te aliquando respicias: & insidias, quę nomini tuo regio ab istis comparantur, cognoscas: & abs te, regnoq; tuo maturè depellas. ne si cunctere, idem tibi eueniat: quod alĩjs regibus euenit, quî dum in hæreticorum sceleribus maximis conniuẽt: maxima imperia amiserunt. Habet enim hoc hæresis, vt à paruis vicĩjs profecta: sensim serpat, viresq; acquirat eundo: summis etiam regibus horribiles.

quę nisi

quę niſi à principio extinguuntur, edunt flammas: quibus deflagrare regna, atq; imperia eſt neceſſe. An tu putas aliam rem vllam ante ſupremum mundi diem, regnis omnibus finem allaturum eſſe: quàm hæreſes? quas tantopere miſeras, atq; calamitoſas fore Chriſtus prædixit: vt niſi abreuiarentur dies illi: non eſſet ſalua vlla caro. Refrigeſcet enim charitas, id eſt catholica fides, teſte Domino: & abundabit iniquitas: id aũt eſt hæreſis multorum. Appropinquat, credas hoc velim mihi: illa Danielis regnorum deſolatio. iam lapis ille abſq; manibus de monte prę ciditur, qui conterat, atq; comminuat omnia regna terrę, ſacerdotio Chriſti ſaluo. Tum etiam eiuſdem Danielis Aries ille: ab oriente ſæuum iam cõtra occidentẽ vibrat cornu. quo in regnis orbis terrę præparatis, ab hæreticis ad interitum: reliquias vaſtet, atq; exinaniat. Quod ſanè cornu, cum cæteris regibus omnibus, vehementer eſt pertimeſcendum: tum tibi inprimis, qui huic arieti, præter alios reges primus occurris. Etenim hic aries ab oriente incurſat in te per Valachiam: à Septemtrione, vrget per Scythiam: à meridie, inſtat per Vngariam: ſolus occaſus reſtat tibi Germaniam verſus non vſq; quaq; ſyncerus: ſed veluti putrida gleba vermibus, vndiq; ſectis infectus. Quę ſectę, cùm ad illum Danielis arietem, in quo Machometes deſignatur, pertineãt: eiuſdemq; generis ſint, cum Turcica ſecta, quis negauerit, te, à tergo: à fronte: a' lateribus Turcica ſecta teneri?

ARIES DAnielis metuẽdus cornu Polono Regi

Quod

POLoniæ Regnũ trium dierũ.

Quod si tu in his tantis regni tui angustijs, Lysmanianum etiam, Arrianum, ac Stancarum Nestorianum incendia hæretica, miscere passus fueris impunè: da veniam Rex optimè, atq; ignosce vera tibi prædicenti: Regnum tuum, trium dierum est. Nam in his turbinibus atq; fluctibus hæreticorum fieri non potest: quin labatur sedes tua: laceretur corona: infringatur sceptrum: hebetetur gladius tuus, hæreticorum furore, & audacia. Est enim dira lues hæresis: quę dum modo in nocendo propositũ teneat: nullas horret cruces: nullos metuit ignes: nullas formidat secures: sed in ipso cruciatu, atq; morte triumphat: & in aperto latrocinio, obsequium se præstare Deo simulat. quę nisi Pontificiali iudicio, atq; regali gladio aliter extingui, ac deleri non potest.

Hæresis dira lues.

Authores Sectarũ regno pellendi.

☞ NEq; verò ego nunc autor tibi sum: vt sanguine ciuili cruentetur regalis gladius. Ne fiat, vt id suadeam domino meo Regi. quam enim id ex sententia alijs regibus successerit, videmus. Sed tamen vt eos regno tuo pellas, qui aliunde ob maleficium pulsi, exules apud nos omnia diuina, atq; humana iura violarunt: id ego autor tibi sum. Quantum enim tandem hoc flagitium fuerit? Franciscum Stancarum, fugiẽtem è Mantua, non potuisse sedem ac domicilium vitę alibi ponere, quàm in Polonia? cur is euitauit Patauium, Mantuę vicinum? cur è Veneciis enauigauit, aut cur illam proteruolat vrbem florentissimam, potentissimamq;? quę optimorum atq; eruditorum

eruditorum virorum non receptrix solùm: verum etiam altrix est. cur inq; is patria fugiens ad vrbem Venetam non flexit iter? cur ad nos potius, quàm ad alios in Sarmatiam penetrauit? quid causę aliud esse quis dixerit: nisi quòd Stancar Venetorum leges timuit: nostras autem contempsit. An Veneti hunc fugitiuum, in illa seueritate Reipub: Canones reformatorios conscribentem, ferrent? an illum in sua ciuitate Mandare, iubere, decernere, quicq; sinerent? Ergo nos Poloni præter cæteros idonei visi sumus: quibus Stancar imponeret: & quorum mores, leges, instituta, vniuersamq; Reipublicę disciplinam labefactaret. Cuius insolẽtiam, incredibilemq; audaciam secuti multi, ab vltima Gallia, atq; Heluetia, in Poloniam venerunt doctores Ariani, atq; Macedoniani dogmatis: vt Blandrata, Lysmaninus, atq; Petrus Statorius, qui in Polonia, tãq; in theatro quodam delecto, atq; libero, hæreticorumq; libidini exposito, ante Maiestatis tuę oculos de Nestoriana, atq; Arriana hæresi, cum Stancaro inter se decertãt: vtra illarum esset potior: hoc est, ad euertendam Poloniam valentior. hos ergo omnes impietatis duces, & magistros, vt agris atq; vrbibus nostris extermines, non iam postulat: sed abs te flagitat, regni tui salus: regiumq; tuum decus.

SED dixerit fortasse quispiã, si istos eiecimus, num iam silebunt turbę? aut dissensiones conticescent? Nequaq; istuc istac ibit via: nisi medicamenta illa

Quomodo pacãda Polonia

Christiana, tanq̃ de Narthecio abs te promantur: quę malis ĩsce nostris à Maiestate tua adhibeatur: quorum vnũ est Concilium Tridentinum: alterum Concilium domesticum. de vtroq; dicã: si illud prius fuero præfatus. In ciuitate Dei viuimus: & Hierosolymam vrbem incolimus: magnanimè Rex: cuius vrbis eadem amplitudo est: quę & orbis terrarũ, vt supra est demonstratum: ab hac vrbe, & ab ista ciuitate quę hanc vrbem incolit: ne discederemus, Christus cœlos ascensurus vetuit: quod nusq̃ alibi spũm ꝑmissum largiret nobis, quàm in hac ciuitate. quam ille certa iurisdictione præditam, ac magistratibus descriptam: nobis hinc abiẽs reliquit. Quapropter cùm in bene morata, beneq̃ constituta ciuitate viuimus: quos alios quæso de controuersia, quã habemus cum hæreticis: sumemus iudices: pręter eos sacerdotes: quorum labia custodiunt sciẽtiam: & de quorum ore, legem requirere apud Malachiã Deus nos iubet? qui quidem sacerdotes, quoniam Tridenti, Pij Quarti, summi pastoris vocatu, de quaq; re iudices nunc sunt, in Ecclesia sanctissimi, iustissimiq;, æquo iure disceptemus, apd' illos quæstiões nostras: et dum illi sententiam ferunt, & iudicium pronunciant, pacienter, quid de iure ambiguo sentiendum sit: expectemus. Quod si lõgius esse videtur: & tarditatis conciliorũ tedet: in promptu est domi alterum remedium: quo saluti ægrotę Reipublicę à Maiestate tua subueniri possit. Nam cùm vniuersa Christi

Concilium Tridẽtinũ

Concilium prouinciale Polonicũ.

Ecclesia

Ecclesia in quatuor patriarchales sedes antiquitus maiorum instituto sit descripta: in principem videlicet Romanam, in Constantinopolitanam, in Alexandrinam, & in Antiochenam sedem. ea ratio est regni tui, vt præter Alexandrinam: reliquę tres in ditione tua integrę constent sedes. Est enim Romana, cui subiectum est Polonicum genus: Est Constantinopolitana, cui Roxolani parent: Est Antiochena, quam Armęni venerantur. Iube igitur vt ex his tribus sedibus Metropolitę atq; Episcopi conueniant: vt controuersias religionis de communi sententia in tuo regno disceptēt: Consensum illorum puta esse Euangelium. id aūt quod ab eorum discrepauerit decreto: existima esse maleficium. Etenim in tàm variis, tamq; dissidentibus inter se harum gentium ritibus: quis est tam auersus à vero: qui illud ipsum, in quo hę gentes moribus, atq; cultu differentes, conuenerint, verum, integrum, incorruptūq;, de lege Dei sensum esse negauerit? vt ita tu Mediator in Polonia Cleri, & plebis, pro eo ac iussus es, tuas partes regias exerceas. neq; aliunde accersitis auxilijs: sed domesticis tuis copijs, tam pernicioſos regni tui motus, rectè, & ordine componas.

Neq; vero est, quod quis coitiōem illam vulgarem, quam nationale Concilium vocant, abs te postulet: in quo vulgo plebs etiam ipsa, de summa religiōis sententiam ferat: & in qua hæreticus de Catholico pronunciet. eiusmodi em̄ conuenticula verius, quàm

Concilium Nationale pernicio-sum.

concilia, quã sint pernicioſa, Germania nos docuit, quę conuẽticulis eiuſmodi exagitata, non imminuit, neq; extinxit: ſed amplificauit, atq; auxit Lutheri hæreſes idq; iure, ac meritò. Quid enim alieno in munere recti ipſa per ſe faceret plebs? cui ſcripturarum fontes ſunt clauſi: cui ſcriptura parabola eſt: Non procul diſtans à fabula: cui etiam, tanq; in petra, ſic in ſcriptura, veritas omnis penitus eſt abſtruſa: ita, vt niſi hæc ipſa ſcriptura, vt illa Moſis petra, ſacerdotis interpretatione, quaſi Moſis virga, feriatur, aperiaturq; nihil inde profluat, quod plebs purum, liquidumq; hauriat, ac facilius ignem ex aqua, aut aquam è petra plebs exprimat: quàm vllum Germanę ſcripturę ſenſum è ſcriptura, ſponte ſua exculpat: exprimatq;. Nec iniuria, nam quæſtiones legis diſceptare: controuerſias, quę de ſcripto ſunt, diudicare: de religionibus ſententiam ferre: tam eſt Epiſcoporum, quam ipſorum regum eſt, gladio ferire nocentes. Igitur Concilia agere: in Conciliſs ſententiam dicere: ac decretis Conciliorum ſubſcribere: Epiſcoporum proprium, ac perpetuũ munus eſt. nec quorumuis, ſed eorum tantum, qui à Simone Galilæo, nõ autem à Simone Mago proficiſcuntur. In hanc rem teſtes dabo Concilia œcumenica, in quibus penes ſolos Epiſcopos ſententię dictio, & ſubſcriptio eſt. quorum autoritate ſtandum omnibus eſt: qui piè in Chriſto volunt viuere. Quamobrem, mirum non eſt: ſi conuentus illi Germanici, hæreticorum contẽtionibus

In Cõciliis autoritas penes Epiſcopos eſt.

tionibus fuerunt dissipati. erãt enim spiritu Dei cassi: qui ibi non est: vbi princeps abest Petrus: sine quo non est habendus deniq; nauci, etiam celeberrimus virorum, quamuis clarorum, quamuis piorum conuẽtus: quid eñ ouis, nisi errare potest absq; pastore?

SED tamen siue hac via, quam dico: siue quauis alia, enitendum tibi est, vt pax publica in tuo regno constituatur: vtq; talem Rempub: successori post te relinquas: qualem à maioribus tuis per manus traditam accepisti. Qui cum omnibus bellicis laudibus essent cumulatissimi: tamen in religionibus tuendis, omnium regum suę ætatis fuerunt præstantissimi. quorum in omni virtutis, & pietatis laude præstantiam: cùm in cœlũ verbis ferret, vir clarissimus, atq; eloquentissimus IOannes Ocescius, Regni Polonię Cancellarius, in Senatu sententia dicenda: non dubitauit apud te IAgellanam gentem, quasi diuorũ domum, Apostolis, Martyribus atq; cõfessoribus refertam esse dicere. atqui hæc vir ille omnibus rebus excellens magno applausu dixerat assidente Senatu. Quid enim per Deos immortales, VVladislaus IAgello proauus tuus: qui ex Lituana gente in Polonia regnauit primus: quid, inquam, aliud fuit: quam gẽtium Apostolus quidam? qui mox, quàm regnum à Polonis vltrò delatum accepisset: introductis in Lituaniam sacerdotibus Romanis: gentem illam durã, et agrestem, & idololatria cœcam, baptizauit: in Ec-

Iagellana gens religiosissima.

IAGELLO Apostolus

VVLADISLAVS Martyr.

cleſiam dicauit:ac ſedi Apoſtolicę ſubiunxit. Iam quem martyrem deſideramus fortiorẽ VVladiſlao, magno tuo patruo, IAgellonis filio? qui vnum,& vigeſimum annum natus: infinita hoſtium edita ſtrage,ad Varnam: Vngarię,& Polonię Rex,ab Amurate Turca in Vngaria eſt interfectus. Hunc imitatus LVDOVICVS Martyr. tus LVDouicus,tuus AVGuſte patruelis frater: eodem animo, atq; caſu ad Mohatium Rex Vngarię cæſus, pro Chriſti fide: & ab Solimano cum exercitu eſt interfectus. Quid ego nunc confeſſores ipſos commemorem? quorum tanta copia in tuo genere eſt: vt tua gente maximam partem cœlum ipſum repletum eſſe videatur. Poterat Kazimiro auo tuo in regibus ſanctior eſſe quisq;? cuius veſtigijs dum ingreditur Kazimirus filius, patruus tuus: in diuos eſt relatus. Iam illi ſummi & præſtantiſsimi regnatores Sarmatię, Bohemię, atq; Vngarię, VVladiſlaus: IOannes Albertus, Alexander, patrui tui: nonne eiſdem pietatis gradibus, quibus auus, & proauus tuus, in cœlum aſcenderunt. Sed tamen rex ille regum, & exemplum antiquorum morum, ac regię celſitatis decus, & ornamentum, SIGIſmundus pater tuus: cũ ſanctitate, pietate, religione: tũ orationibus, ieiunijs, atq; eleæmoſinis: quæ tria Chriſtianã illuſtrant vitam: non tibi veteres illos Hilarionas, Anchoritasq; cœteros, aut ſuperaſſe, aut adæquaſſe videtur? Neq; vero ego verbis tantũ gẽtis tuæ pietatem hoc in loco exagero: ſed etiã leges ab illis latas proferã: vnde li-

Iagellani cõfeſſores.

SIGISMVND Anachorita.

vnde liquet, eiusmodi esse genus tuum: vt dubites, amplificandorũ ne regnorum, an conseruandarum religionum causa fuerit diuinitus in Sarmatia procreatum. Audi igitur Iagellonem proauum tuum, quantus ille fuerat Apostolus.

VVLADISLAVS IAGELLO CONTRA HAERETICOS.

VVladislaus Iagello Dei gratia Rex Poloniæ &c̃: Significamus tenore præsentium, quibus expedit: Vniuersis præsentibus, & futuris, harum noticiam habituris. Quod, cùm, sub dissimulatione præterire non debemus: immo arcemur diuinæ legis perpetuis institutis, pestiferos hæreticorum errores, quos in Dei contẽptum, & in Christianæ fidei detrimentũ & eneruationem, Politiæq; iacturam, iniqua peruersorum corda conflauerunt, etiam quæcunq; oporteret nos subire pericula, à finibus nostris propulsare: & in gladio deiicere. vt qui censura Ecclesiæ non terrentur, humana seueritate mulctentur. maturo consilio Prælatorum, Principum, & Baronũ nostrorũ habito, et consensu, & etiam de certa ipsorum, & nostra scientia præsentibus decernimus, & pro firmo, constanti, atq; irrefregabili edicto teneri præcepimus. Vt quicunq; in Regno nostro Polonię, & terris nobis subiectis, hæreticus, aut hæresi infectus vel suspectus de eadem, fautor eorum vel director repertus fuerit, per nostros Capitaneos, Consules ciuitatum, & alios

Hæresis eneruat politiam.

Hæresis crimen Maiestatis læsæ.

tum,& alios officiales,ac quoslibet subditos nostros siue in officijs,siue extra viuentes,velut Regię Maiestatis offensor,capiatur.et iuxta exigentiam excessus sui puniatur.Et quicunq; venerint de Boèmia,& intrant regnum nostrum,ordinariorum suorum examini:aut Magistrorum hæreticę prauitatis ad hoc à sede Apostolica deputatorum,vel deputandorum subdentur comprehensi. Si quis autem incolarum Regni nostri cuiuscunq; status, dignitatis, gradus, aut conditionis fuerit, hinc ad festum Ascensionis Domini proximum redire de Boemia neglexerit,noluerit,vel contempserit,pro cõuicto hæretico censeatur,& pœnis subiaceat:quę hęreticis infligi consueuerunt. Nec amplius ad regnum nostrũ reuertatur moraturus. Et nihilominus omnia bona ipsorum mobilia, & immobilia, in quibuscunq; rebus consistentia,publicentur:thesauro nostro confiscanda.proles q; eorum tam masculina, quam fœminea omni careat successiõe perpetuo,& honore. nec vnq̃ ad aliquas assumatur dignitates, vel honores: sed cum patribus,& progenitoribus suis semper maneat infamis.Nec de cætero gaudeat aliquo Priuilegio Nobilitatis,vel decore. Inhibemus etiam sub eisdem pœnis omnibus mercatoribus,& alijs hominibus,cuiuscunq; conditionis fuerint, vt à modo, et in posterum, nullas res venales, præsertim plumbum,arma,esculenta,& poculenta,ad Boẽmiam ducere præsumant,vel portare.Quocirca vobis omnibus,& singu-

Boèmica hæresis.

Hæreticorũ proscriptio.

Hæretici cõfiscãtur.

Hæreticorũ progenies infamis.

Interdictũ de inuãdis Boèmis.

bus,& singulis Capitaneis,Burgrabijs,Procuratoribus,Magistris ciuium,Consulibus,& alijs Regni nostri officialibus,& subditis quibuslibet,ad quos presentes peruenerint: Mandamus, quatinus præsens edictum nostrum custodire fideliter,& firmiter debeatis.et vbilibet in ciuitatibus,villis,&alijs quibuslibet locis publicis,& priuatis,& specialiter vbi tractabuntur ludicia, & vbicunq; contigerit aliquam multitudinem hominum confluere, palam, vocibus præconũ,faciatis proclamare, vt nullus valeat prætendere ignorantiam præmissorum.Harum,quibus Sigillum nostrũ appensum est: testimonio literarũ. Dat' in Vielun' die Dominica,Iudica me Deus. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Vigesimo quarto.

NEC Paulus Apostolus poterat melius. Hic em̃ proauus tuus legis diuinę institutis coactum se scribit:hæc edicta in hæreticos edere: à quibus Deũ cõtemni: fidem Christianam vexari: ac politiam tolli vere, & sapienter pronunciat. Quid em̃ hæresis aliud est:nisi Dei contemptrix? An hoc Deum contemnere non est? vicario Christi contra præceptum Dei nolle subijci? An contemnere Deum non est? contra Christi aperta verba, panem in altari, pro corpore:& vinum, pro sanguine Christi reponere? An contemnere Deum non est? legem Dei agnoscere:& eius leges sacerdotem cũ sacrificio nullum pati velle? Profecto homines isti verbis Deum se nosse dicunt:

Hæresis diffinicio.

dicunt: verbis autem negant. Iam verò, cùm præter vniuersales Ecclesię sententias, singulares, & vniuersalibus contradicentes, sibiipsi nullo exemplo sedicioſe sumunt: quid aliud agunt: quàm id quod proauus tuus Apostolico spiritu determinat? nempè hæreticos, & Christianam fidem eneruare: & plurima detrimenta publicis rebus importare. Ac mea quidem sententia, si princeps ille, & magister deffiniendi Aristoteles, hæresim diffiniret: non aliter eam explicaret: quam quomodo ab auo tuo explicata est. diceret eam, hæresim esse opinionem singularem Dei colendi: ex contemptu Dei natam: in catholicę fidei detrimentum, atq; in regnorum iacturam. Quę hominum, atq; regnorum pestis, ne in Poloniam vnq̃ irreperet: vides vt illi, vndiq; à proauo tuo intercludantur ad Poloniam aditus? et vt etiam acerbissimę impiorum pœnę in fautores eius pestis ab illo rege constituantur. quę ad ipsos etiam posteros, qui nec dum nati erant attineant? vt videlicet eorum posteritas, & in parentum bonis successione careat: & cũ parentibus suis semper maneat infamis, remota à dignitatibus, honoribus, & omnibus commodis regni.

Bóëmica hæresis à Simõe Mago orta.

AT si scire Maiestas tua vult: quænam illa hæresis fuerit: cui tantis cum edictis aduentanti in Poloniam Agello Rex occurrat? Non alia fuit, præter eam: quę ex Boëmia ad Germaniam autore Luthero profluxit. Deinde ex Germania Stancaro duce in Poloniam, nescio qua, per cuniculum ascendit.

Atqui eius

Atqui eius sectę caput, Simon Magus, Simonis Petri grauis aduersarius in vrbe Roma fuit. Sic enim primus arbitriũ hominis docuit seruum esse, & absoluta necessitate fieri omnia. Quę hæresis fracta à Simone Petro, & vrbe pulsa, extinctaq; post centum demũ annos in Martionem reuixerat. Postea cũ hoc hæretico extincta, à Mane Persa, vnde Manichæi, recreata: multis seculis interpositis, per Petrum Adelhardum in Angliam ad Ioannem VViklefum, cum sese infinitis erroribus collupletauisset, peruenerat. vnde pulsa: per Petrum de pagine, in Boęmiam fuit importata. quo in regno Ioanne Husio duce, quas strages ediderit: quę incendia fecerit: vt reges è regno illo exterminauerit: vt leges, atq; ordines regni euerterit: vt omnia diuina atq; humana sanguine ciuili obruerit: quis est qui scribendo, dicendoue pro eo, ac calamitas illius regni postulat, explicauerit? huic igitur tantę, tamq; dirę pesti summus ille Rex, atq; gentiũ Apostolus IAgello, proauus, tuus obuiã iuerat: paratus adire oĩa pícula: modò ne cõtagio illa, ex tam propinquo interuallo pertineret ad Poloniam. (Tum enim hæc à proauo tuo edebantur edicta: cùm IOannes Husius miscebat incendia: & cùm à IOanne Ziska, eius sectę antesignano, SIGismundus Rex è Boęmia fuerat pulsus: cuius regis acerbissimo casu permotus IAgello: districtum habebat gladium illum: quem de altari à Bodzanta Archiepisco po Gnezenensi pro altari, cõtra hæreticos sumpserat.

Ioannes Husius.

Sigismundus à Ziska regno pulsus.

Iagello uerus Rex. casus pro fide Christi paratus in omnes. ITA Rex hic memor erat, iusiurandi Archiepiscopo à se dati. Quid Vnctio, quid gladius, quid corona, quid sceptrũ, deniq; thronus ille Regius, quid valeret, quidúe à se flagitaret intelligebat. Non libet euagari lõgius: vt hæc eadem virtus propugnandi pro Ecclesia, clarissimi illius regis, in Kazimiro filio, auo tuo: eximia fuerit. qui cùm arderet Boemia ex hæresibus ciuili bello: edicta paterna in hæreticos parata semper habebat, quos tantopere oderat: vt IOannem de Capistrano Senensem, familię Franciscanę monachum, hęreticorum Boemicorum grauem aduersarium: ex Boemia, quasi ex acie deuictis hostibus: in Polonia aduentantem, ad vrbem Cracouiẽsem obuiam progressus exceperit: eumq; honorem illi viro sanctissimo habuerit: vt de illius manu, præter regni morẽ, Elizabetam, auiam tuam, vxorem acceperit desponsam. multa extant publicè exempla illius catholici regis: quę, quoniam ad SIGismundum patrem tuum properat oratio, in medio relinquam. qui sanè Sigismundus Rex, quam acer in hæreticos fuerit, nobilis ciuitas Gedanum, documento est. cuius magistratũ gladio illo ipso, ex altari sumpto, more maiorũ pater tuus percusit, ob religionẽ Romanam violatam. Sunt in manibus edicta, atq; consulta huius magni Regis: quibus maiorum suorum instituto, cõtra hæreticos catholicam tuetur fidem. et in quibus Episcoporum in hæreticos firmat iudicium. Sed tamen ne

Kazimiri pietas.

IOannes capistran⁹

SIGismũdus Gedaneñ gladio percußit.

tamen ne infinita persequamur, vna, & altera lege ab illo rege lata, erimus contenti.

LEX SIGISMVNDI.

☞ Inprimis ad Spirituale iudicium pertinet, iudicare differentias religionis sanctę Christianę. Hæreses videlicet, Schismata, Blasphemias, contra Deū, et Apostasias: pro decimis: septem sacramentis Ecclesię, Beneficijs, sacrilegijs, & simonia.

EDICTVM EIVSDEM REGIS IN HAERETICOS.

SIGISmundus Dei gratia, Rex Polonię: magnus dux Lituanię: Rusię: Prusięq;. &c. dominus & hæres. Manifestum facimus omnibus, & singulis, cuiuscunq; status, ac ordinis subditis nostris: necnon etiã aduenis, quibuscunq;. Quia cùm humanis ingenijs, præsertim vulgi ad res nouas, ac insolentes propensis, necesse sit cùm alia mala pleraq;, tum verò hæreses emergere: necesse item sit illas per eos, qui diuinis ac humanis institutis præpositi sunt: tanq; pestem, aut virus nocentissimum, à subditis ipsorum arceri. Si quidem sola est religio, quę legibus, ac institutis suis, homines in disciplina, in virtute, ac in fide erga Deum, & homines continet, ac regit: quaq; in norma, & obseruatione sua veteri turbata, & dissoluta, turbari & dissolui necesse est vniuersa. quod postea vt multis exemplis constat, in seditionem vergere,

Religio sola retinet in officio homines.

ac in perniciem rerum publicarum, earumq; rectores redundare solet. Nos pro officio Christiani principis, eam ipsam religionem, à sanctis patribus ordinatam: ac per sanctam Romanam Ecclesiam directam: nobisq; à maioribus nostris per manus traditam, ac per nos deniq;, & gentes nostras multo sanguine, & clarissimis (Gratia Dei) victorijs hactenus defensam: etiam à labe hæretica his temporibus, in vicinia emergente, integram, ac immaculatam in regno, ac dominijs nostris conseruare volentes, publicis edictis mandauimus, ne qui libri, Lutheri cuiusdam, eiusq; sequacium quorumcunq;, quos sua insolentia, in reprobum egit sensum, quiq; prætextu viciorum ordinis Ecclesiastici, & scandalorum, quę in hominibus fieri necesse est, tanq̃ sub melle virus suum, in vulgus spargunt, & scriptis, ac sermonibus famosissimis, nõ solùm mores salubres, ac instituta Ecclesiastica: Sed ipsos etiam sanctos patres turpissimè proscindunt: & sacra prophanis miscent, nequaq̃ ad regnum & dominia nostra inferrentur: & legerentur. ne ve quis dogma ipsum pestiferũ, approbare vel tueri auderet: sub pœna capitis, & priuationis bonorum omnium. Ad quę postea edicta nostra exequenda, modum etiam oportunum statuere volentes: delegauimus in prætorium ciuitatis nostrę Regię Cracouiensis, nonnullos primarios nostros, tam spirituales, quam etiam sæculares consiliarios: qui cũ consulibus, ac officialibus ciuitatis sic edicta ipsa nostra

NOTA officiũ boni regis.

Lutheranorum libri proscribũtur.

Pœna in hæreticos.

noſtra exequenda ſtatuerunt. Vt inprimis quando cunq; oportunum videretur, Reuerẽdo domino Epiſcopo Cracouienſi, fieret per inquiſitores eius cum decurionibus, quos conſulatus in tota ciuitate ad huius negocij, aliorumq; exceſſuum tollendorum cuſtodiam delegit: per omnes domos teſtudines, ac ciſtas diligẽs ſcrutatio: & vbi aliqui libri hæretici inuenirentur, illinc pœna edicti exigeretur. Deinde, vt Impreſſores librorum, nihil prorſus imprimere, et Bibliopolę, vel alij quicunq; exponere, ac vendere deinceps audeant, ex libris vndecunq; adductis, niſi illos rector Vniuerſitatis prior viderit: & tam imprimi quam vendi permiſerit, ſub pœnis prædictis. Vt aũt & reliquę ciuitates noſtrę hoc exemplo inſiſtant, ac vt vnuſquiſq; tẽporius præmoneretur, ne ipſa mandata noſtra transgrediatur, & ignorantiam prætendere poſsit. Nos hanc ipſorum conſiliariorum ſimul, ac conſulatus Cracouienſis ordinationem, per has literas noſtras omnibus teſtatam eſſe voluimus, mãdantes omnibus alijs ciuitatibus regni, & dominiorum noſtrorum, vt ad eum modum edicta noſtra exequendo, qui faciant cum loci ordinarijs, aut eorum delegatis ordinationes oportunas: easq; diligentiſsimè exequantur. Pro gratia noſtra non aliter facturi. Daũ Cracouię die ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum. Anno domini 1524.

Inquiſitio

In Impreſſores librorum.

HIS ſalutaribus præſidijs edictorum atq; legum aduerſus Boę-

aduersus Boęmicas hæreſes Poloniam ſepſerant maiores tui: hunc murum ahæneum regni ſui illi volebant eſſe, qui ne vnq̃ vi, fraudeue, ab hæreticis perrumperetur: in regali cuſtodia die, noctuq; ſtabant perennes: atq; in eo euigilauerunt omnes curę, & cogitationes illorum regum. vt ea catholica fides in Polonia maneret ſalua: quę à Mieſzkone, Monarcha exorta: per ſexingẽtos ãnos, vno tenore vt ſemel cæperat: continuo fluens, in manus illorum peruenerat. Et haud ſcio an hic ſol aliam præter Poloniam viderit gentem firmiorem in catholica fide: vt ſolis maioribus tuis verè liceat gloriari: ſe in Chriſtiana gente regnaſſe: ac tibi pro patrimonio ampliſsimo Poloniam, nullis contactam vnq̃ hæreſibus, tanq; virginem incorruptam, atq; integram, per manus tradidiſſe: quanta autem autoritate tu virtutum regum illorum, atq; regni hæres Poloniam ab illis traditam acceperis: Sacramentum, quo coronatus iam Rex tuam Reipub: obligaſti fidem, docet.

Polonia firmißima in Catholica fide.

EGO Slgiſmundus Auguſtus Dei gratia, Rex Polonię, Magnus Dux Lituanię, Ruſsię, Pruſsię, Mazouię. &c. Dominus, & hæres. Iuro, ſpondeo, & promitto, ad hæc ſancta Dei Euangelia: Quòd omnia Iura, libertates, priuilegia, literas, munitates, Regni mei Polonię, Eccleſiaſticas, & ſeculares: Eccleſiis quoq; regno Polonię, eiuſdemq; prælatis, principibus, Baronibus, Nobilibus, ciuibus, incolis, & quibuſlibet perſonis cuiuscunq; ſtatus, ac conditionibus exi-

nibus existentibus, per Diuos prædecessores meos, Principes, Reges, & quoscunq; hæredes ac Dominos regni Poloniæ: Præsertim verò per diuos Kazimirum antiquum, Ludouicū, VVladislaum proauum, VVladislaum patruum: Kazimirum auum, Ioannem Albertum & Alexandrum patruos, necnō Sigismundum patrem meū reges Poloniæ, iustas, & legitimas donatas, manu tenebo, seruabo, custodiam, & attendam, in omnibus conditionibus, atq; punctis, & omnia illicitè ab eodem regno alienata, aut distracta, pro posse meo ad proprietatem eiusdē regni mei aggregabo. Terminos etiam regni mei Poloniæ non minuam: sed pro posse meo defendā & dilatabo. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Euāgelia.

Lapis in Polonia Angularis quis

Hic est ille lapis angularis: qui facit in Polonia vtraq; vnum, & qui Mediator cleri, & plebis est: quo lapide duo regni ordines, ad pares angulos, in vnum apicem, atq; verticē regni Poloniæ feruntur. vnde, si vel momentū minimum de solido dempseris: totam regni structuram facile destruxeris. Neq; enim hoc loco louem lapideum, barbarorū ad morem: sed Euangelium Iesu Dei, Christianorum instituto, tenens, iurasti: te Ecclesiastico, atq; seculari ordini in tuenda libertate fidem æqualiter seruaturum, quod cum iuratum abs te ita sit: vt mens conceperit fieri oportere, id Euangelij decreto obseruandum est. In quo illud præcipitur: sit verbum

 vestrum,

vestrum, est, est, non, non, aliter si fit, periuriū est. quod non est aliud quàm mendacium iure iurando firmatum. Atq; id cuiusmodi sit, in seculari parte videamus prius, vt inde de Ecclesiastica parte facilior sit existimatio. promittis em̄ iuratus, lura, libertates, priuilegia, literas, atq; immunitates seculares te seruaturum: quid ius aliud est? quàm æquitas constituta ijs, qui eiusdē sunt ciuitatis, ad res suas obtinendas. quid libertas? quàm potestas viuēdi, ac iure tuo vtendi vt velis: quid priuilegium? quàm priuata lex, literis publicis, & immunitatibus consignata. Ergo si quis quærat: secularis pars quo nam statu in tuo regno sit? dicam eo statu illā esse, quo, quæ est optimo. est enim rerū suarum domina. viuit legum præscripto, vt vult, gaudet priuilegio, deniq; literis publicis, atq; immunitatibus est illustris: ita, vt si aduersus eius partis iura quid feceris, libertatem partis secularis læseris, & Sacramentum violaris. In hac parte hæc sunt: vide nunc quæ sunt in altera: quæ spiritualis dicitur. Quæ sanè pars, hanc eandem iure iurando deuinctam autoritatē tuam retineat necesse est: qua illius nitatur salus, sic sacramentum tuum iustum iudicandum est. Quid autem in lure Ecclesiastico, tàm descriptum, & cōprehensum est: quàm religio? quàm Iurisdictio? quàm antiquior in repub: nostra locus? Quæ vero libertas eius ordinis alia fuerit? quam ne sacerdos, ab ipso Deo generi humano præpositus, vnq̄ hominibus subiectus sit? Iam

Ius seculoris partis.

Ius spiritualis partis

sit? Iam priuilegia huius ordinis, quæ maiora firmiora q; dici possunt? q̄ quæ omnibus diuinis & humanis legibus, à primo generis humani exortu sunt lata, atq; sancitas, quorum illa priuilegia summa, & singularia sunt. Ne quis primam sedem iudicet: Ne sacerdos in ius ad regem ambulet: ne causam apud regem dicat: ne militet: ne stipendia mereat: ne tributum pendat: Petri statere ab omnibus tributis, vt supra est dictum: solutus ac liber. Stater enim à stando Græcis dictus: in principe Petro regũ, stare fecit tributa, id est finem Pontificialibus attulit tributis: id quod etiam antiquo seculo sanctè obseruatum semper fuit. Nam & Ioseph in Aegypto, fame dominante, terram sacerdotalem vectigalibus regijs liberauerat. & Moses præcepto Dei Læuitas non tantum à bello, & à tributo immunes esse iusserat: verumetiam vndecim tribus Læuitis volebat esse vectigales ex parte decima: adeò vt illa decumana tribus, vndecim tribubus, nouem partes reliquas cùm fecisset, duabus partibus in agrorum fructibus, omnes cæteras tribus superabat. Vt ergo Ecclesiastica pars pro eo, ac iurasti vndiq; perfecta, nihil abs te requirat: ius suum teneat oportet: sit, libera: priuilegia habeat. sit apud te immunis. vt ad hunc modum, quasi libratis ponderibus, Polonia ordinibus, tanq̄ radicibus suis: nixa, sede in sua semper hæreat, immobilisq; maneat. At audaciã hæreticorum specta: qui Ius Ecclesiasticum in seculare

Priuilegia Sacerdotum.

Stater Petri in perpetuum liberauit à tributis clerum.

Hæretici Iusspũalium violãt.

partem trahĩciunt: Insticium indici: iurisdictionem Pontificialem intermitti. deniq; sub tuum ius, atq; potestatem subiungi Ecclesiasticum ordinem abs te postulant. itemq; sacra, religiones, atq; ceremonias, non ab Ecclesiastica: sed à seculari parte administrari volunt. ministros Ecclesiarum, non à Pontificibus: sed ab infima plebe creari ius esse dicunt: sacerdotes legitimos regno pellunt: & in eorum locum fugitiuos substituunt: Ecclesias diripiunt. Postremo omnibus priuilegĩs, literis, atq; immunitatibus contra tuum sacramentum Ecclesiasticam partẽ nudant. quod quid aliud est? quam vt alieno iure prægrauata, oneratáq; secularis pars, in hac inæquabili varietate iuris, depressa, oppressáq; intereat. Nam cùm tua regia maiestas, in Polonia non constet alit: nisi illa duabus hisce regni æqualiter nitatur partibus, vtramcũq; partem tibi quis subtraxerit: sedem celsitas tua regia non habebit. sed vtracumq; pars regni partem alteram vicerit: tamen tecum vna periturí sumus. Quid enim aliud est hoc iusiurandũ, quod sanctissimum pulcherrimũq; mox à coronatione regno tuo dedisti. nisi petra quædam solida, supra quam ædificata est Polonia? quã si hæretici, ita vt sperant, & optant, perrumpunt: vide ne in nos quoq; Polonos satis sit id: quod de Saulo rege à Samuele dicitur. Quod si perseueraueritis in malicia, & vos, & rex vester pariter peribitis. Quid autem aliud est malicia: quàm versuta, & fallax nocendi

Regia Maiestas nititur iuramẽto dato.

Quamalicia perit Polonia.

cendi ratio: per quam insidiæ tendũtur iuri alieno: quæ in republica iusto Dei iudicio & regni, & regis interitu vindicatur. ac profecto, si recta nobiscũ reputamus via hæc malicia, quæ nuper in Polonia exorta, spolijs Ecclesiasticis secularem ornat partẽ: ad eum interitum tendit: quem nobis Samuel sacerdos minitatur: quæ vt nos iam ducat ad occasum, videmus. Quæ enim est illa obsecro ratio. Metropolitanus in Polonia ne sit id, quod est, & quod semper fuit. Tum, Episcopus, sacerdos, clerus, ne habeatur apud nos vllus: sed Lysmaninus, ac Stancar cum Blandratis, Statorijs, Scebresinisq; fugitiuis in parte seculari eius cleri fungantur munus. Iam illa dementia quanta tandem est? Mortuo Polono rege, ne renunciandi noui regis, Comitia Metropolitanus edicat: sed vnus aliquis de plebe vltimus id ius habeat: vt non idem, qui regij honoris deferendi, comiciorum quoq; deligendi regis habeat potestatem. id scilicet Deus vult? aut id iusiurandum abs te datum postulat? Quid ego nunc illam labem, & ignominiam regni conquerar? solenne conciliorũ œcumenicorum, ad Petricouienses conuentus transferri? & intermissis comicialibus consultationibus, Synodales quæstiones Pietricouiæ in conuentu agitari? Ex hac tam præpostera, tamq; peruersa ratione comiciorum, quis expectauerit vllos fructus huic regno salutares, & non potius acerbos & pestilentes? Alia enim est ratio Conciliorum alia Comiciorum.

Polõi præposteri.

Comicia et concilia differunt.

In conciliȝs quæſtiones diſceptantur diuinæ legis: in Comiciȝs ad ſummam regni conſulitur. quæ autore Ariſtotele in partes quinq; diſtribuitur. Aut enim de pace, & de bello Comiciȝs deliberatur: aut de rebus exportandis, & importandis: aut de vectigalibus regni augendis, minuendiſue: aut de legibus ferendis, antiquandisq;: aut de præſidiȝs regni firmandis, tollendisq;. Hæc eſt materia conuentibus agẽdis ſubiecta: quam tractet, & de qua deliberet cum ſuis regnicolis Rex. At cùm à nobis hæc, quæ noſtra ſunt Comiciȝs repudiantur: fit vt neq; illa quæ Conciliorum ſunt aſſequamur. Vetat enim Deus ſator, ordinisq; cuſtos, aduerſus ordinem rerum à ſe inſtitutum rectè aliquid fieri. qui id mandat nobis, vt in qua vocatione quis vocatus eſt: in eadem permaneat. Ad miliciam vocatus es, Pontificiam laudem ne appetas. Pontifex es, regium decus ne requiras. ſed in ſtatione à Deo tibi aſsignata permaneas. neq; inde in iuſſu imperatoris, id eſt Dei, decedas. Quæ ratio, atq; hominum vocatio, quoniã turbatur paſsim: vides vt regna pereant: & vt nihil iam certi, neq; explorati hominum vita retineat: vtq; nulla regnorum ſit fides: nulla etiam regum ſtabilis ſit in regnis beneuolentia. nec propter aliam cauſam, niſi quia vel ſublati, vel turbati ſunt regnorum ordines, diuinitus ad ſalutem hominum directi. Quapropter idem in regnis euenit, quod in noſtris corporibus euenire ſolet. quãdiu enim proporcione

Contrà ordinem nil recti fit.

porcione æqua quatuor qualitatum noſtra conſtãt corpora, tãdiu integra, & ſana ſunt. At vbi qualitas aliqua in corpore extra modum prodit: mox æſtu, febríq; noſtrum iactatur corpus. Sic quamdiu ordines regni in ſtatu ſunt ſuo: integrum, atq; ſaluum eſt regnum. At ſi aut ordo, ordine cõmutatur: aut altero opprimatur ordine, nihil eſt quod ibi præter motum, atq; interitum rerum communium expectes. Quod cùm viderent diuini illi reges, maiores tui, edictis atq; interdictis hæreſim, id autem eſt opinionis maliciam, quæ vult videri ſe eſſe catholicam fidem: ſed ab ea diſtat plurimum, ad Poloniam vetabant accedere, quæ eo ſpectat, atq; eminet tota, vt ordine in ciuitate turbato, vitam hominum perturbet, euertatq;.

Antiqui polonorũ reges, cur obſtabant hæreſibus.

HORVM ſummorũ regum maiorũ tuorum, vt memor eſſe velis, non mihi cohortandus: ſed magis collaudandus eſſe videris: quòd veſtigijs patris, aui, proaui ingreſſus, decori illorum nulla in re vnq; defueris. non in re bellica, in qua quantus ſis imperator, repreſſa tuis armis Scythia, ac Moſcouitica ſeruitute liberata Lyuonia teſtatur. pace verò, quis maiorum tuorum illas ſingulares, & præſtantiſsimas virtutes, continentiam, grauitatẽ, fidem, iuſticiam, atq; liberalitatem in te requirat? quæ liberalitas non tãta tamq; incredibilis in te Polono rege eſt: vt cum cæteri reges vulgo, quod nimium accipiant, accuſentur, tu quod nimium das, à

S: Auguſti Laus.

nobis

nobis accusaris. ita reges alij pecuniarum captarum rei, apud suos fiũt: tu pecuniarum distributarum in tuos crimen subis. At hæc Iagellana in te natura liberalissima, munificentissimaq;, cùm tãtopere munificentia auariciæ crimen obterat: ac se se omnibus beneficijs in omne genus bonitatis & beneficẽtiæ effundat, quæ virtutis eximiæ laus, ab illa abesse potest? num iusticia in homines? num pietas in Deum? num erga temetipsum sanctitas? quæ cùm Dei pio contineatur cultu, si munificus es de alieno, quid nõ facies de tuo? Nam diuiciæ, honores, copiæ, caduca sunt fortunæ, & temporum munera. quorũ munerum non tam facultas vnq;, & copiæ expetuntur, quàm in vtendo ratio & in carendo pacientiã laudantur. At in summa potestate tenere rerum omnium modum, in opibus, humilem esse: in delicijs, castum: in seueritate, comem: deniq; in rerum omnium affluentia, sobrium, iustum atq; pium, id quoniam tuum est totum, si rectè dispenses, maius decus maioremq; laudem habebis: quàm de effuso ærario, elargitoq; fisco regio nunc habes. Et quoniam huius tuæ eximiæ, atq; regiæ laudis: sancta religio fidei Christianæ summa est: ad eam tuendã quantum conniti animo potes: quantũ labore cõtendere: tãtum fac efficias: vt quasi lumẽ aliquod eluceat, in tuo regno pietas, atq; sanctitas tua. quæ vna cũ regno à maioribus tuis per manus tradita est tibi. Qui si quis mortuis inest sensus: ad te supplices manus tendunt.

tibi Poloniã

tibi Poloniam communem noſtram patriam, ex illuſtri cœlorum loco oſtentant, te orant, atq; obſecrant: vt Sarmatiam more inſtitutoq; illorum pro tua fide, contra hæreſes deffendas. & ne illud flagitium regni tui admittas. vt Polonia te rege fornicata, cum diſs alienis eſſe videatur. quæ, vt ſupra eſt demonſtratum, à Mieſchcone Monarcha, ſexingentos, amplius annos, caſtè piè religioſeq; verum Deū colens, in tuas manus integra peruenit. Hic ergo officium tuum regium extet, in exterminandis hæreſibus oportet. quæ per cuniculos dormitantibus nobis obrepſerunt ad nos. Vt ſucceſſori (vtinam vero ex te nato) talem Poloniam tradas: qualem à maioribus accepiſti. imò ſanctiorem etiam, ſi id dictu fas eſt. Sed id tamen poſtulat nomen tuum ab augendo ductum. quod tibi puero Calendis Auguſti, Anno ab hinc XLI. impoſitum fuit parentū omine. *S: Auguſtinomen.* Qua in re non tantùm tu poſteritati ſeruies: verumetiam, apud Deum. ſe verum Iudicem tibi proſpicies. apud quem in illo horrendo, diſtrictoq; iudicio dicetur illud tibi: Redde rationem villicationis tuæ Regiæ. cùm quidem, abs te fuerit quæſitū vbi pietas? vbi Polonorum priſca fides? Deinde, qd Stancar, in Polonia egerit? cur fidem catholicam viciauerit? cur Lyſmanini, Blandratæ, Statorij, & cœterum Arrianum vulgus graſſatum, te rege in Polonia fuerit? cur Eccleſiæ direptæ? cur prophanata templa? cur altaria euerſa? cur ſacramenta contamina- *Horrendū iudicium Dei manet reges.*

ta? cur mysteria violata? cur Iura? leges, libertates, & immunitates Pontificiales sceleri data? cur distractus senatus? cur diuisus populus? cur te rege, non eadem in Polonia fuerit fides plebis, atq; regis? Postremò illud quoq; ab ipso Deo in eodem iudicio requiretur abs te: Vbi est Auguste fides mea Polonis tradita: à Romano Petro per Adalbertum Boæmũ propagata: & per Stanislaum Polonum cuncta in Lechia prædicata: deniq; per Roxolaniam, atq; Scythiam ab Apostolis, Prophetis, Euangelistis, Pastoribus item, atq; Doctoribus Polonicis tot seculis culta, doctaq;. Vbi ea est? cur euanuit? cur ab hostibus meis Arrianis, atq; Nestorianis sub te rege extincta, atq; deleta fuit? cur in Iure meo tuendo gladius cessauit tuus? cur in vagina, tempore belli impij, mansit conditus? cur altare meum pro eo, ac iurasti non defendit? cur nomen meum blasphemari passus fuit? cur animas meorum sub tartara mitti permisit? Vbi est iusiurandum tuum? vbi vnctio? vbi gladius? vbi Corona, Sceptrum, thronusq; tuus regius? ô acerbam mihi Auguste rex memoriam harum rerum omnium: tristesq;, atq; acerbas rationes tuas. nã hæc ad te scribens, in memoriã redeo illius Poloniæ, in qua Deum coluerunt, & in qua mortui sunt veteres Poloni, maiores nostri, qui in Polonia erãt tanq; vir vnus in quibus etiam vna erat fides mentium, & vna voluntas actionum. qui si nunc reuiuiscerent, & hasce Chimæras Arrianas, Nestorianasq;

Polonorũ consensus in fide.

viuere

viuere in Polonia viderent: quę illorum fuit pietas, hæc opinor ad nos genus ſuum dicerent.

HAECCIne eſt Poloniaſ aut hoc natale ſolum noſtrum eſt: in quo tot inſunt veſtigia moris alieniſ quocumq; enim oculi inciderint: veterem reipubli-cę diſciplinam requirunt. Quę enim hæc eſt licen-tiaſ quod nouarum rerum ſtudium à noſtris inſtitu tis alienumſ quorũ non gloria bellica magis: quàm fide catholica nomen in hac quondam terra floruit. Nos enim Illyrĩ quondam, cùm natale ſolum nos non caperet: ex Macedonia, atq; Dalmatia, Cecho atq; Lecho ducibus profecti: in has ſeptemtrionis oras, ad Vandalum flumen, per Pannonias penetra uimus Philippo atq; Alexandro, Macedonum regi-bus, cùm domi militię q; ſtrenuam prius nauaſſemus operam. Sed anguſtia patrĩ ſoli coacti, patriam e-greſsi, Cechum minorem natu fratrem, in Boæmia: quę erant Bauarorum ab origine ſedes: collocaui-mus. Ipſi Lechum, maiorem natu fratrem, ducem ſecuti: in hæc Sarmatię vacua ad Vandalum, id eſt ad Iſtulam flumen venimus, deſertaq; loca, ac littus Vandali relictum incoluimus, multis ante Chriſtũ natum tempeſtatibus. Nam in hæc loca nos per-uenimus, Alexandro magno iam Aſiã tenente. Nec Dalmatę: neq; Macedones patrio nomine, ſed Van dali, à flumine ad quem primo aduentu conſedi-mus: deinde Polachi, à Lecho, à quo in hæc Sarma-tię ad Vandalum vacuum introducti ſumus, dicti

Polonorũ ueterũ ad poſteros oratio.

Polonorũ origo.

Vandalus

Vandali.

 fuimus,

Poloniæ nomen unde dictũ.

fuimus. inde Vandalia ab Amne Vandalo: & Polachia, à Lacho: deinde Polonia leniter inflexa voce, hæc regio, non à Pole, id est à planicie appellata fuit. Intuleramus autem nobiscum ex Illyria in has oras, non solùm Macedonicum, illud glorioſum gẽtis robur: sed etiam Græcorum, in Illyrico cultos Deos. Lædam videlicet, & eius filios Ioue satos, vt tum credebamus stulti, Castorem, atq; Pollucem, fratres Helenę, scientes pugnę. Ad hæc, Cererẽ, quàm pogodam: atq; eius filiam proserpinam, quã Poguisdam de nomine patrio appellabamus. tum Martem pugnandi: Mercurium verò, furandi deos ab eisdem Græcis: è quorum stirpe orti sumus, vt etiam ipse indicat sermo, corruptus licet, accepimus. Hi fuerunt antiquitus dij nostri: verbo quidem plures: re autem vera vnus. Et idem Deus erat noster: quem postea ad verum Deum conuersi, & ab Ecclesia catholica edocti: Diabolum fuisse comperimus, in cuius superbissimo dominatu positi: iugum acerbissimum pertulimus seruitutis, Athei, qui eramus illo, in tempore, siue Christo: alienati à conuersatione Israhel: & hospites testamentorum. promissionis, spem non habentes: & sine Deo in hoc mundo: quid nàm esset peccatum, quid mors, quid vita æterna, ne suspicati quidem vnq̃ sumus. tamq; horribili cœcitate à Tyranno Diabolo excœcati fuimus: vt ne Christo quidem iam nato, illum solem iustitię aspiceremus exortum, qui iam dudum ætatem gentibus

Dij Polonorum.

Sermo polonorum Græcus.

Poloni athei.

nobis

nobis vicinis illuxerat. soli nos ad Vandalum flumẽ, Vandali, ac Poloni siti, cum reliquis, qui septemtriones spectant: tetra errorum cooperti caligine, sub Domino Diabolo triste agitabamus æuum. Sed post tot demum secula, Anno Christi Dei nostri, D cccc L X V nostri quoq; misertus Deus, Miesco ne Monarcha, tetigit corda nostra: errorumq; admonuit, ac fœditatem Sathanę intolerabilem nobis aperte ostendit. peccatum quam vim haberet, docuit. viam ad salutem è seruitute fugientibus ostendit. idq; non ex operibus iusticię, quę fecimus nos: quid enim boni quis agat in crudeli diaboli dominatu? in ira Dei? & in rerum omnium desperatione positus atq; in ipsius materni vteri custodia in Diaboli familiam dicatus? misericordia ergò sua ipse Deus saluos nos fecit: offerendo nobis vltro, ac persuadendo animis nostris fidem illam in Christum, sine qua nemo placet Deo. quę illa est? Christum verum Deum, & verum hominem, pacificatorem hominis, cũ Deo, mortuum esse propter peccata nostra: & resurrexisse propter iustificationem nostram. cur autem, tot iam labentibus annis, nos Deo fuerimus nisi idonei, quibus penè in regnorum genere vltimis, fides hæc ad extremum illucesceret: certũ nescimus. id vnum scimus, iusticiam Dei in causa fuisse: cur tamdiu careremus, hac tam salutari fide. misericordia autem eiusdem Dei credimus, vicissim esse factũ quòd ex filijs irę, filij gratię: & ex mancipijs diaboli,

Polonia quo tẽpore fidẽ recepit.

Gratis iustificamur.

Fides in Christum quæ.

Mieſcone Monarcha liberti facti ſumus Chriſti.
Liberum Arbitriũ. Quam ad rem non vlla fatali vi coacti: ſed libera voluntate, ac ſponte noſtra, liberum arbitrium ſecuti, pſuaderi nobis ab intimo Dei ſermone paſsi ſumus, libertatem, ſeruitute: vitam, morte: deniq; Deum, diabolo longe meliorem, antiquioremq; eſſe. imò ſeruitus, mors, Sathan, mala vltima, malorum eſſe omnium. vt ex contraria parte libertas, vita, Deus, ſumma bona eſſent bonorum omnium, ita propter ſe expetenda, vt illa mala, propter ſe ſunt reiſciẽda. Quòd ergo fidem Deus eam, quę in Chriſtum eſt, nobis obtulerit, in animosq; noſtros ingeſſerit, id non meriti noſtri, vti iam diximus: ſed gratię eius fuit. Nihil nos dedimus illi, vt hanc ab illo acciperemus fidem. quis enim dedit illi, & retribuetur ei? aut quorum tandem bonorum noſtrorum indigens ille eſt? cæterum cùm ad Dei vocantis voces nõ obſurdeſceremus, nec ea, quæ mouebamur aure ſurda præteriremus, adiuuante eodem nos Deo credidimus: libertatem, vitam, ſpem atq; ſalutem noſtrã
Polonia Baptizatur. Chriſtum eſſe. Et quoniam hæc fides, quàm aboriginis noſtri Græci, non à cogendo, ſed à perſuadẽdo appellant, πίστιν, ſedem, ac domicilium vitę in eorum animis non poteſt ponere: qui Adę, primi parentis, culpa deprauatinatiuo eius ſubiecti ſunt peccato, iccirco admonitu piorum virorum quorundam, Mieſcone illo ipſo Monarcha, cum audiuiſſemus eſſe ciuitatem quandam Dei, cuius Antiſtes eſſet Roma-

set Romanus Petrus, penes quẽ authoritas esset sum-
ma, ex seruitute Diaboli, in libertatem Christi ho-
mines vindicandi, ab hoc ipso, istius ciuitatis Anti-
stite, Miescone Monarcha, opem aduersus diaboli
vim implorauimus. Itaq; Ioannes XIII Vicarius, *Polonorũ Apostoli primi.*
Iesu Christi, Simonis autem Petri successor, exora-
tus à Monarcha, Senatu, ac populo, doctissimos vi-
ros Italos, videlicet, Villibalmum: Prochorium:
Iordanum: Gotfridum: Lucidum: Angelotum: O-
ctauianum: Iulinum ad nos Vandalos, ac Lechitas
doctum misit. qui & Miesconem Monarcham, &
genus nostrum, illi subiectum, sacri baptismatis vn-
dis, ab originali culpa, abluerent: &, ex ciuitate Di
aboli ablutos ac mundatos in ciuitatem Dei trans-
ferrent: in Christiq; Ecclesiam dicarent. quod etiã
est factum: Nam illi viri sanctissimi, Vandalia, si-
ue tu malis Poloniam dici, ingressi, prædicabant no
bis Christum: & gratiam eius, qua nos in commu-
nionem suorum Deus cõuocauerat celebrabant. ho-
mines turmatim ad flumina confluentes baptizabãt:
idola ex Vandalia exterminabant: monumenta Le- *Ex polo-nia Ido-la exter-minãtur.*
dę: Castoris, atq; Pollucis insignia, humo obruebãt.
Mercuriales statuas è triuijs, viatoribns iter demon
strantes: tollebant: & pro his Christi cruci affixi col
locabant. Deinde, templa falsorum Deorum, ve-
ro Deo adscribebant: eaq; sanctorum cum Christo
triumphantium nominibus insignia esse volebant.
vt Gnesnę, quę gentis nostrę caput erat, Metropo-
lim virgi-

lim virginis matris nomine habebant insignem, vt alterã Metropolim Cracouię, quam Venceslai martyri dicabant. vt Vratislauię, Ioanni Christi & Baptistę, & præcursori summo. vt Poznanię, Petro, & Paulo principibus Apostolorum. vt in Płocko, Sigismundo regi, & martyri. vt Vladislauię, Marię Iesu Christi matri, templa consecrabant. lõgum est enumerare, vt ab illis Italis, à Romano Petro in Poloniam missis, è terra nostra tàm priuatim, quàm publicè eiectus fuerit Sathan: idola sublata: ac falsorũ Deorum cultus vrbibus, atq; agris nostris fuerat exterminatus. Atqui ne princeps ille, mundi huius, in primisq; quondam noster Sathan, semel è terra nostra pulsus, reuerti in Poloniam, atq; ad nos aspirare vnq; posset: illos ipsos Italos, à quibus baptizati sumus: in præsidijs contra Sathanam circum Vandali fines collocaueramus. Villibalmum Metropolitanum, Gnesnę, septemtrionem versus: Prochorium, Cracouię, ad meridiem: Iordanum Posnanię: Gotfridum, Vratislauię: occasum versus. Lucidũ verò, Vladislauię: Angelotum, in Płocko, ad orientem Diabolo oppositum. cui adiunximus octauianum in Culmia: Iulinum, in Camienia. Iacinctum, in Lubucia. quos omnes Aegidius Cardinalis, Episcopus Thusculanus, Ioannis XIII iussu consecrauerat: & illos, in hac vigilia, atq; custodia gentis nostrę, in ciuitate Christi nouicię, ex autoritate consecratos, collocauerat. Qui sanè summi, & excellentissimi viri,

In Poloni a Eccleſiæ fundãtur.

Epiſcopi cõſecrantur.

tissimi viri, ab vrbe Roma profecti, illamipsam diuinitus datam,& oblatam nobis fidem,absq; operibus bonis emori facile posse, nos docebant. neq; fidem,absq; bonis operibus: neq; opa,absq; fide quicq; valere aqud nos prædicabant. neq; enim solitariã fidem, bonis operibus cassam, deo placere: neq; opa sine fide, ad salutem aliquid momenti habere nobis suadebant. discrimẽ etiam operum nobis tradebãt. opera enim illa, quę antecedunt fidem: quamuis ad speciem bona, sancta q; sint:si ostentatione,venditatione q; fiunt, peccata esse. si verò simpliciter,& candide fiant: sine fide tamen mortua esse.qualia fuerũt in Cornelio illo Romano: cuius orationes,& ieiunia, atq; eleemosynę nulla connixa fide, ascendebãt tamen ad Deũ. Sed quia patrocinio carebãt apud Deum fidei: nihil proderant oranti, ieiunanti, atq; eleemosynas danti Cornelio. Quapropter iussus erat Petrum ab Ioppe accersere:à quo disceret fidem illam, sine qua placere Deo nemo potest. Itaq; docebant præsules illi nos: quàmuis opera ante fidem inter se differrent:tamen in eo paria essent:quòd ex illis iustificetur nemo ante Deum. Contra verò illa opera, quę ex fide, vt flãma ex igne, relucent: vehementer Deo placere: iusticiæq; nostrę ante Deũ partem maximam esse:illi ĩdem doctores nostri docebant. id q; iustissimis de causis. opa enim hæc, quę vt diximus, tanq; è fonte, erumpunt ex fide, instinctu Spiritus sancti fiunt. habent promissiones adiũctas: habẽt

FIDES absq; operibꝰ mortua.

Discrimẽ operum.

Ex operibꝰ solisnemo iustus apud deũ.

Quæ opera iustificant.

ctas: habent liberum arbitrium nostrum: operanti hæc, in nobis Christo, assentiens. habent difficultatem promerendi: habent dignitatem Christi interuenientis pro nobis: habent obsequium nostrum fideliter obtemperans Christo: habent charitatem, quę nobilitat illud in nobis Christi opus. Atqui hæc ipsa opera sunt nostra, & non nostra. Nostra, quia sine nobis non fiunt. Non sunt nostra, quia sine Deo non sunt. Cùm igitur opus verè bonum ex agente Deo, & ex libero nostro arbitrio consentiente, in idq; operam dante existat: quomodo suum munus, atq; suum opus, quod operatus est in nobis: nō coronabit, non etiam amplexabitur Deus? aut quomodo eiusmodi opus non valebit nobis ad salutem: quod ipsa manus Dei in nobis fouet, & exosculatur: vt ergo illa opera ante fidem, & sine fide sunt pannus mulieris menstruatę ante Deum: ita hæc, quę nascuntur è fide, sunt purę stolę, quas sancti Dei homines in sanguine agni lauerunt. Hanc talem fidē per charitatem operantem, baptizatores illi nostri primi, formatam fidem, hoc est charitate instructā, appellabant. ad quam vt paratiores essemus: proponebant nobis traditiones sanctorum Apostolorum: qui ab vrbe Hierosolyma, ad diuulgandum Euangelium à summo sacerdote Christo toto orbe terrarum dimissi: hanc talem fidem prædicabant. quorū instituta, mores, disciplinamq; per manus traditam, diligenter nobis explicabāt, tum etiam traditiones scriptas,

Deus suū opus in nobis coronat.

FIDES *formata.*

Doctrina apostolorum.

Traditiones.

100

scriptas,ab eisdem traditas,nobis exhibebant: ac auribus nostris inculcabant. vt legem Mosis,quę vim peccati, ac vindictam Dei hominibus ostentat: vt prophetas, qui eius peccati solutionem demonstrãt: vt Euangelium, quod redemptorem eius peccati iã aduenisse nunciat: vt Apostolorum scripta, quibus Euangelium declaratur. Atq; hæc omnia non ex singulari,propriaq; sententia doctores illi explanabant nobis:sed ex sensu ipsius Ecclesię cõmuni.quam Ecclesiam, quatuor mundi plagis claudi:extento digito nobis demonstrabat. in qua multitudo hominũ cuiusq; generis,esset maxima:in qua laterent pauci illi: quos Deus ipse sibi tantum notos esse voluit. in qua sanè Eccclesia, vt olim,ita nunc essent quoq; Apostoli: Prophetę, Euangelistę, pastores atq; doctores: in opus ministerij: ad consumationem sanctorum: ab ipso summo sacerdote Ecclesię Iesu Christo dati. Insuper,proferebãt sanctorũ Patrũ primũ Concilia:in quibus ex autoritate repressę sunt hæreses: quas in Ecclesiam vndiq; immitebat Sathan: vt ex animis hominum euelleret Christum, atq; beneficia Christi: tam ex auribus, quàm ex oculis hominum exterminaret: sempiternaq; obliuione obrueret. Deinde patrum decreta, & quasi communia consulta. in quibus fuerunt illa præcipua Ecclesię lumina, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, mitto alios Latinos, ab istis profectos. Ex Græcorum autẽ parte, tanq; ex Spiritu sancti eadẽ

Intellectus scripturarum.

Ecclesia Maxima.

Ministri Ecclesiæ.

Cõcilia cõtra hæreses facta.

Doctores Ecclesiæ.

schola, vnde & Latinos, producebant: Anathasium, Cyrillum, Chrysostomum: atq; Gregorium theologum. nam alios enumerare longũ est: qui sanè Græci, & Latini vt sanctissimi, ita doctissimi viri non singularem aliquam suam doctrinam: sed illam cõmunem, atq; vniuersalem, qua spiritus Domini per Apostolos, gentium patres, repleuit orbem terrarum: literarum monumentis, posteritatis memorię reliquærunt. vt doctorum illorum consensus, non sit aliud: quam lex certa Christianę vitę: qua standũ, viuendumq; est omnibus his, salui, qui volunt fieri. atq; hæc doctorum nostrorum ratio doctrinę fuit. Et quoniã fides fit per auditum, auditus per verbũ, vt illi primi doctores nostri verbum nobis tradiderint, diximus: vt autem fidem in nobis excoluerint, dicendum est. vt enim fides constet: duobus ad eam rem opus esse, illiipsi nobis suadebant: verbo, quo in nobis inseratur fides: sacramento, quo hæc eadem in nobis alatur, faueaturq; Itaq; septẽ sacramenta, quibus sanctificaretur homo interior noster: diuinitus instituta esse dicebant. vt sacramẽtum baptismi, quo vetus homo noster crucifigitur, & consepelitur cũ Christo, cum omnibus actibus, & concupiscentijs suis. vt Confirmatio, qua homo nouus, ex aqua, & Spiritu recreatus: confirmatur in nobis ad pugnã. vt pœnitentia, qua primũ horremus peccatũ: deinde, apud legitimum sacerdotem, tanq; apud iudicẽ: confitemur peccatum. Postremò, satisfactione castigamus

Doctorũ consensus Lex uitæ.

Sacramẽta Ecclesiæ

1

2

3

ſtigamus ipſum peccatum. Peccati enim hæc lex,
& conditio eſt: vt caſtigetur, ac vindicetur: aut ab
ipſo peccante: aut à Deo vindicante. Iam, homini 4
peccatis defeſſo, quid tam neceſſarium eſt: quàm vt
is reficiatur cana illa, quę dat vitam mundo? Tum 5
matrimonium, principium generis humani, & quaſi
ſeminarium cœleſtis regni: fide, prole, ſacramento
nobis, ab illis viris commendabatur. Et quoniam 6
abſq; peccato in hoc caduco non viuitur corpore,
cùm hinc migraremus, ſacro vngebamur oleo: quò
peccatis leuati, paratiores eſſemus ad emigrandum.
Et quia hæc, quę adhuc diximus, diſpenſatore egẽt 7
iuſto: ideo illiipſi viri Itali, ſacerdotium ad ſacra-
menta aggregabant: quòd ordinis nomine appella
bant. nam ordo eſt continuatio, ſeriesq; miniſterij Ordo qd?
Eccleſiaſtici: in quo alius, ex alio: & omnes inter ſe
apti, & colligati ſunt miniſtri ad ædificationem cor
poris Chriſti, quę eſt Eccleſia Dei viui: columna,
& firmamentum veritatis. Nec hic ordo aliter cõ-
ſtat: niſi à Chriſto ſummo ſacerdote, per Romanũ
Petrum, deriuetur ad vltimum clerum. In hoc ſa- Ordinis
cramento docebant illi nos hæc tria reciproca eſſe: accidẽtia.
videlicet, legem, ſacerdotem, & ſacrificium. vt lex
non ſit, ſine ſacerdote: neq; ſacerdos, ſine ſacrificio.
Nam & naturalis illa lex, ſacerdotes habebat: Abe-
lum, Noach, Abrahamum, Iſaac, atq; Iacob. & lex
Moſis ſuum habebat cum Læuitis Aronta: & lex no
ua, Chriſtum habet ſacerdotẽ ſummum: qui ipſum

MISSA. se quotidie in Missa, quod Hæbreis nomen mortis est, offert pro Ecclesia sua, per Romanum Petrum, & per eius Petri socios, sub panis, atq; vini specie. Hæc ergo sunt sacramẽta, per quę gratis à Deo dantur nobis bona omnia. Compræhendi autem septenario numero hæc, iccirco edocti eramus, quòd eo numero, vt peculiari suo gauderet spiritus Dei. Nã, & septem Sigillis lex obsignata fuerat Mosis: & septem tubis in Apocalypsi angeli cantant: & septem panibus satiantur turbę: & septem lucernis inflammatis apud Zachariam tabernaculum illustratur. Deniq;, Naaman, Syrus, septies in Iordanę lotus, ex vndis, purum, liquidumq; se recepit. Per hæc igitur septem sacramenta, illa gratis data fides: in nobis viuebat, vigebatq;. Ad quam augendam, vegetandamq;, cùm ea, quę diximus, tradebant nobis doctores illi: tum etiam rebus externis infirmitatẽ nostram adiuuabant. Primo enim annum in mysteriorũ tempora describebant. Nam Mensem Decẽbrem, commemorabilem habebant natali die Christi, Dei nostri, sic Ianuarium, Circumcisione: Februarium, Purificatione: Sacrum ver passione, Resurrectioneq;: Maium, Ascensione: Iulium paracleto: Triade item, ac Christi corpore celebratissimos volebant esse menses. quos inde subsequebatur Iulius, visitata Elizabetha: quem pone sequebatur Augustus, præclarus assumpta Dei matre in cœlum Mẽsis. tum September natalem Diem referebat nobis

Septennarius numerus.

Mysteriorũ tempora.

eiusdem

eiusdē virginis, vnius, in Christo, multorū Deorū matris. Postremò, Calendę Nouembres, diuorum cœlestium ferijs, sub capite Christo, celeberrimè fiebant virorum,& mulierum conuentu. Hi erāt anniuersarij apud nos festi dies:quo in memoriam nos redibamus,beneficiorū erga nos Christi. Insuper, ipsius anni circulum, ijdem illi, diebus festis sanctorum Dei hominum, cum Christo iam triumphantium,quasi notis,atq; punctis quibusdam distinguebant: non, vt homines coleremus pro dijs: sed vt statis diebus memoriam illorum repeteremus: quorū similes nos esse vellemus. Sed quid opus est verbis? septimanam ipsam quotidianam, atq; assiduam, ad pietatis studium exaggerandum, alternis diebus structam, dabant nobis in manus: nam,feriam secūdam ieiunabamus, quòd eò die Christus Hierosolimam, vili vectus asello, aduenerat, pro nobis moriturus. hunc diem quarta feria insecuta, nos docebat ieiuna, hac die à Iuda proditore, Christum pro nobis, Iudæis fuisse venditum. Ipsa verò sexta feria, cinerem, tanctq; panem manducabamus:& poculum nostrum cum fletu miscebamus, recordati nobiscū, illo die cruci affixum, ac felle potatum fuisse Christum. Sed hic tamen ad vesperam demorabatur fletus. nam ad matutinum, hoc est,ad dominicum diē, subsequebatur lætitia ingēs, ex resurrectione Christi concepta. qua die ieiunare fas non erat, neq; opꝰ rusticum facere. sed totus is dies dicabatur pietati, ac liberiori

Sanctorū feriæ.

Septimanæ Mysterium.

Dominica dies festa Polonis.

ac liberiori vitę, ob quam etiam eius diei ſummam, & incredibilem celebritatē, patria voce hic dies appellabatur, Nedela: quod in ea opus ruſticum, mechanicumue, fieri ius non erat. Nedela.

Iam illa religionis Chriſtianę inſignia, in templis, locisq; publicis, apud nos paſsim viſebātur. ſtabat fixus templo in medio Chriſtus paſſus: vt eo viſendo referremus oculos, & animum, ad illum verum Chriſtum, natum, circūciſum, oblatum, mortuum, ac rediuiuum: domitorem Sathanę. quem doctores illi noſtri, non tantū dictis, atq; ſcriptis, ſed etiā templorum imaginibus, atq; figuris exprimebant. quas rerum ſpecies, atq; figuras viri illi, pro codicibus nobis volebat eſſe: vt quod literatis codex, ſiue liber: id Idiotis imago rerū eſſet. vt ita in ratione pietatis literatus, ante idiotam nullas haberet partes priores. Sed tamen, non ſolū hiſce externis rebus, pietas noſtra qualis eſſet, declarabatur: verumetiā hæc eadem erumpebat, & effundebat ſe ſe in miniſtros Dei. nam quanti apud nos eſſet dominus, id in eius ſeruis apparebat: quos cēſibus, atq; præmijs volebamus eſſe in hac terra nobiſcū opulentiſsimos, beatiſsimosq;. Quapropter, fundos, villas, vicus, atq; vrbes, ſacerdotibus: ſeruis Chriſti: attribuimus. nō vt eleæmoſinas, quas auferre poſtea liceret: ſed vt populos fundos: quibus viuerent, & ad vſus vitę degendę neceſſarios, Eccleſiarū miniſtri ſuo arbitratu vterentur. Aſpicite Gneznam, Metropolim veſtram. contuemini Cracouiam. itemq; VVladiſla-

Imagines & earum vſus.

Eccleſiarū dotes.

VVladislauiam, atq; Plockam, & cæteras Episco- Episcopa-
pales sedes in Polonia, conspicite: quę gens, quę na- tus in Po-
tio Episcopalibus sedibus florentior? aut opulenti- lonia di-
or intra Oceanum est? atqui, ad tam maximas pecu tissimi.
nias, non per fraudes, neq; per fallacias sacerdotes
in Polonia venerunt: sed summa voluntate nostra,
de communi patrimonio, pro sacerdotum rata par
te, hę pecunię ad sacerdotes peruenerunt. Doce-
bamur enim, & Christum dominum suos habuisse
loculos: nec quæstorem illi domesticum defuisse.
quibus loculis: patrimonium Ecclesiasticū designa-
ri, eramus edocti. Itaq;, cum proportione æqua, Polonorū
huius istius terrę, partem sibi vendicaret rex: par- cōcordia.
tem sacerdos, partem plebs, vt de communi diuidē-
do partem suam quisq; ratam, certamq; haberet: tu-
tissimam vitam omnes viximus: atq; in optima Re-
publica eum vitę cursum tenuimus. Vt domi, beatè,
id est, cum virtute: cum mutua charitate, viueremꝰ:
& foris, glorioſi essemus: in omnes partes semper vi- Polonica
ctores: nulli vnq; genti, nisi lacessiti bellū fecimus: bella.
atq; illum gladium regium, quem vnà cum corona,
sceptroq; à Benedicto VII Pontifice max: accepe-
ramus, non ad inferendum, sed ad propulsandum
bellum, nobis datum fuisse: ab illis doctoribus no-
stris docebamur. Quapropter, Boleslaus Chabri, Poloniæ
primus Rex noster, à Roxolanis lacessitus bello: re fines.
gnum suum ad Boristhenem promouit. Idem postea
multis detrimentis à Germanis affectus: Albi flumi-

ne Poloniam terminauit: Deinde Prussię, atq; Liuonię latrocinijs coactus: Athlantico mari regnum suum deffiniuit. Neq; verò Vngarią pacata illi prius fuit: quam Carpathi montis, illas insanas moles, irruētibus Vngaris, obiecissēt. Nec aliter, alijs quoq; regibus, in hac terra vximus: regnumq; hoc nostrū Polonię, post Christiana regna, Septemtrionē versus, vltimum: ideò collocatum esse duximus: vt pro fide Christi: & pro Petri sede, contra Scythiā, Moscouiam, Valachiam, atq; Turciam propugnaret genus nostrum. Nec vlla circumcirca Polonię extat ora, neq; regio: quę aduersus Schysmaticas, atq; Scythicas gentes, nostro non sit respersa sanguine. Ibamus in aperta pericula pro Christi fide, & pro Petri sede: vnde interdum sciebamus, nos non esse redituros. Ad Varnam Vngarię, dum cum Amurathę Turca confligimus: regem VVladislaum amisimus, è quo bello, ex Polonorum XL milibus, tres tantummodo nostrum superstites, in Poloniam nūcij fuerunt: tantę cladis. Iam, sanguis Polonicus, rex Ludouicus, nū, nō ad Mohatiū occasu suo, Turcico in prælio: legiones nostras obtriuit: quas ab Sigismundo patruo, rege nostro acceperat. Quid Bucouina strages: & in Socalio accepta calamitas: parum ne testantur: quam prestantes fuerimus pietate, & armis: quam pietatē tantopere nos coluimus: vt in sacrificio, dum Euangelium legeretur: districtos gladios tenuerimus: nec prius in Vaginam illos dimise-

Polonia sola propugnat p Petri sede assidue

Polonorū clades ad Varnam.

Ludouic⁹ ad Mohatū perit.

Bucouina strages.

Rit⁹ Polo: i audiēdo Euāgelio.

los dimiseramus, quàm Euangelium à sacerdote desi-
tum esset legi. Qua sanè ceremonia solenni, demon-
strabamus nos pro fide Christi emori esse paratos.
quod cùm alias sæpe, tum vel maximo illo die testa-
tum nos fecimus: quo parua manu, & exiguis copi-
is, hoc ipso Ioanne Tarnouio, Cracouiensi Castel- Ioan: Tar-
lano, summo imperatore, qui vestras hæreses dete- nowski.
status, ex vestra, non iam vita, sed morte, huc ad nos
concessit: Valachiam, magnis copijs Roxolanię mi-
nitatem ad Obertinum, repressimus, fregimus, ac sub
nostrum iugum misimus. Deinde, hoc eodem du-
ce, Moscouiam, Starodubo expugnato, multis incō-
modis, detrimentisq; affectam: pacem petere à Po-
lono rege impulimus. Quod vt Valachi, ex Ro-
xolania, sic Mosci, ex Lituania. Romanum nomen,
Petriq; sedem expugnare, delereq; conabantur.
Neq; verò in alienigenas, hostes Dei, acerbiores nos
fuimus: quàm in domesticos, atq; nostros, si quis cō
tra eam fidem feciſſet: quam Miescone Monarcha, Polonia
ab vrbe Roma acceperamus. Quāobrem cùm Hu- Hæresibus
siana hæresi arderet vicina, & consanguinea nobis infesta.
Boëmia, & cum stirps Miesconis Monarchę, in Ca-
zimiro magno defeciſſet: VVladislaum Iagellonē, Iagello
clarissimum bello ducem, ex Lituania acciueramus. Rex ex Li-
cui non prius Poloniam tradideramus: quam is iu- tuania ac-
ratus rex polliceretur nobis: se armatum, obuiam cersitur.
hæresibus Boemicis, nobiscum vnà iturum. Ac fu-
erūt quidem & alię graues causę: VVladislai in Po-

loniam accersendi, nam & Prussia renouabat pristina bella: & Germania, viribus Romani imperij, hanc eandem ereptum nobis veniebat. Sed tamẽ hæc, leuiora præ hæresi videbantur esse, nobis incõmoda. Nam arma, armis facile refelluntur: hæreses verò vbi semel influxerint, & radices egerint: sine conuersione rerum communium, vix, aut ne vix quidem extirpantur. Causa igitur lagellonis accersendi, Boèmica hæresis fuit: aduersus quã præstãtissimus rex ille, vt munitam Poloniam habuerit: non armis solùm, verũetiam legibus, sunt in manibus leges, in hæreticos, ab illo rege promulgatę. Extãt etiam edicta, vnde id liquet. Cuius excellentem pietatem, studiumq; religionis tuendę: qua fide, & quanta conspiratione coniurationeq; fuerimus subsecuti, confœderatio nostra docet: quę in statutis regni, ita ad verbum extat præscripta.

Confœderatio.

CONFOEDERATIO PRINCIPVM, TAM SPIRITVALIVM QVAM SECVLARIÛ, Baronũ, Procerum, Militũ, & Nobilium, etc. Regni Polonię, contra regnicolas inobediẽtes iuri, & contumaces, & hæreticos, eorumq; fautores.

NOS Principes, Spirituales, & Seculares, Barones, & comites, Proceres, Milites, Nobiles ciuitates, totaq; cõmunitas regni Polonię: singulariter sin-

guli & uni-

guli, & vniuerſaliter vniuerſi, eodem animo, eadem voluntate, ſcientia, conſenſu, & ratihabitione, omnes vnanimiter ſignificamus, tenore præſentiū: quibus expedit, vniuerſis præſentibus & futuris, notitiam præſentium habituris. Quomodo conſideratis nonnullis diſordinationibus, quę in ipſo regno Polonię ſuboriri inceperant: viſis literis prædeceſſorū noſtrorū: Poſnanię, Petricouię, & in Gedlna factis, circa eaſdem literas & earū articulos (ſub quacunq; forma verborum extant confecti) remanere volumus, vsq; quaq;, & ſpondemus, & præcipue circa hūc articulū. Quod qcūq; exiſtēs indigena regni Polonię, habēs in ipſo regno Polonię bona, vellet aliquas inobediētias, cōtra Ius terreſtre, cōmune, aut etiā guerras nobis & eidem regno Polonię damnoſas alicui mouere: ſine licentia domini nr̄i Regis gratiſsimi, & conſilij ſui, & in Iure terreſtri communi nolet contentari: aut etiam hæreticales errores facere, vel promouere vellet: contra talem ſeu tales, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, conditionis, & præeminentię fuerint: ſiue ſpirituales ſiue ſeculares, & in eorum deſtructionem conſurgere volumus & promittimus, ſub fide & honore noſtris, absq; dolo & fraude, nec ipſis auxilio, conſilio, vel fauore patrocinari volumus: ſub fide & honore noſtris, etiam ſi ſanguine, affinitate, & quacūq; propinquitate forent nobis, aut alicui noſtrū coniūcti, nec pro eis loqui volumus aliquod verbum: ſed eos, & eorum talem quem-

libet punire volumus & promittimus. Iura tamẽ nostra ducalia & terrestria in nullo per hoc violãdo, nec ab eisdem recedentes. Harum quibus sigilla nostra cum subscriptione nominatim nominum nostrorum in pendulis Sigillorum sunt appensa testimonio literarũ. Scriptum & datum in noua ciuitate Korczyn feria sexta ipso die sancti Marci Apostoli & Euangelistę: generali tunc Parlamento celebrato. Anno Domini 1438.

HOC fœdus feceramus inter nos, sanguine ictum nostro: contra homines audacissimos: qui sibĩpsis præsidentes, ius, atq; fas omne peruertunt: dũ imperare legibus malũt: quàm illis parere. Et quoniam extra hoc fœdus nostrum, in deteriorem partẽ conuerti hic apud vos in Polonia videmus omnia: ô Polona gens, nostrum genus inclytum: respondeatis nobis, si vobis idonei videmur. Primum de nomine ipso, v nde nã hoc traxistis nomen? vt non Christiani, quemadmodum nos: sed Euangelici, vt Christianorum nemo, appellari vos malueritis. quî, aut vnde nomen id inueniistis? Deinde, si Euangelicum nomen complacitum est vobis: cur Euãgelium à nobis traditum, deseruistis? & in aliud Euangelium, inauditum nobis, patribusq; vestris, translati estis? nã Christum ab æterno sacerdotem apud Deum Patrẽ fuisse: Diuinitatem in Mediatore Christo, frustra esse: fidem solam iustificare: opera fidelium pannum menstruatę

Euãgelicorũ nomen nouum.

Hæretici in Polonia cõmutant Euãgeliũ uet? nouo.

menſtruatę mulieris eſſe: ad bene agendum vi homines cogi: non autem ſponte duci: Eccleſiam absq; ſacrificio eſſe: cœnam absq; corpore, & ſanguine Chriſti. Hæc, & alia intra hos quatuor & decem annos, à Sigiſmundi Regis morte, noua, & capitalia fieri: alienũ eſt à noſtro Euangelio: quod antiquitus prædicatum in Polonia nobis fuerat. Atq; huius rei vel inprimis teſtes ſunt hi duo, ſanctiſsimi, & doctiſsimi Epiſcopi: quos coram adeſſe videntis: videlicet, hic Adalbertus, Metropolitanus Gneſneñ: & Staniſlaus, Epiſcopus Cracouienſis: quorũ vterq;, pro hoc ipſo Euangelio nobis prædicato: cæſus ab impijs eſt. hi enim ex Euangelio vetere nos docebant: eam fidem, quam à perſuadendo Græci vocarunt πίσιμ, id eſt perſuaſionem: quę nixa metu, ad illam charitatẽ pertineret, quę ædificat: cùm tamen veſtrum Euangelium doceat vos, ſcientiã, quę inflat. Dicitis enim vobis certum, exploratumq; eſſe: vos eſſe in gratia Dei. Ergo veſtrum Euangelium ſcit: noſtrum autem credit: nos eſſe in gratia Dei. veſtrum Euangelium dicit ſcio: noſtrum autem dicit, Credo remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. Veſtrum Euangelium eſt ſine ſpe, ſciẽtia enim ſpem excludit: noſtrum autem totum ſpe nititur. & præſentẽ Dei gratiam hominibus oſtentans, ac pollicens: admonebat nos peccati, habebatq; illo nos ſollicitos ſemp: Qui ſe putat ſtare, caueat ne cadat. & breuiter, noſtrum Euangelium anxios, ſuſpenſos, perturbatos, laborioſos

Scientia ſpem excludit.

laborioſos ex peccatorum conſcientia nos faciebat. veſtrum Euangelium ſecurum, ſolutum, & à cura liberatum eſt. Non eſt igitur Euangeliũ hoc, quo nunc nitimini vos, illud quod ab initio in Polonia Euangelizatum fuerat nobis. Cui Euangelio veſtro nulla debentur Euangelia: id eſt læti nũcij præmia. Eſt enim iners, ignauum, & ſomniculoſum Euangelium hoc veſtrum: caret exercitationibus virtutum: non orat, non ieiunat, non eleemoſynas dat: non caſtigat, neq; in ſeruitutem corpus ſuum redigit: ſed ſomni, vini, ſtupri plenum eſt. Quod ſi quis illud interpellet, & è ſomno excitet: mox concitatur ad rixam: ac bellicum cantans, paſtores inuadit: oues diſpergit, templa diripit, altaria euertit, Prophetas occidit: omnem beneficiorũ Chriſti memoriam obliterat. Deniq;, illam ſalutarem notam, qua percuſſus eſt grex Chriſti: è templis, è triuijs, à frontibus deniq; veſtris tollit: extinguit, delet. Non enim frõs veſtra ſigno crucis teritur: non crux in templis lucet: non à prætereuntibus in triuijs, illo ſolenni ſalutatur: Adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi: quia per crucem tuam redemiſti mundum. Ita ſignũ illud filij hominis, quod ſupremam mundi diẽ præcedet: & quod apparebit in cœlo: & ſup quod, olim plangent omnes Tribus terræ: agris, & vrbibus veſtris nunc exterminatur, Euangelij veſtri præſcripto. Quod Euangelium ex Germania huc ad vos in Poloniam importatum: eo impietatis adegit vos,

Euangelium hæreticorum quale.

Signũ crucis deletur

vt nos

vt nos procreatores vestros ideo deuoueatis, ac despondeatis orco, quod præscripto Euangelij, ab vrbe Roma nobis prædicati, vestro Euangelio Germanico vixerimus aduersi. Nam in orationibus, in ieiunijs, in eleemosynis, seruientes Deo nocte & die, non discedebamus à templo: sed media nocte, etiam antelucanis temporibus, surgebamus ad confitendū nomini domini. Hora item Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespertina, atq; Sera, meditationē mortis Christi, quasi gradibus quibusdam, dum penetramus in cœlum: habebamus diuisam. A sacrificio omnia nostra priuata, & publica opera inchoabamus. Sine crucis signo, neq; domi, neq; foris: neq; pace, neq; bello, neq; priuatim, neq; publice agebamus, neq; transigebamus quicq̄. Sic ergo vita erat: sic lux nostra hominibus lucebat barbaris, vt Roxolanis: qui nostri æmulatione commoti, è Constantinopoli fidem catholicam sibi accersendam putauerunt: vt Prutenis, qui nostra pietate capti, ciuitate Dei sunt donati. vt Lituanis, qui fidi æmulatores nostri: & imagines nobilitatis, & religiones pietatis à nobis acceperunt: Et tamen adhuc vobis, à primo satu nostro natis, idololatrę visi sumus: quorum tanta extāt in omni genere pietatis documenta: Hæccine est pietas? hæccine Euangelica vox? ô parentum vestrorum desertores filij. Pater, & mater mea properfidis damnati: aui, & proaui nostri hinc ad Sathanam profecti. vixerunt enim absq; Euangelio. Heu pietas, heu

Poloniæ ueteris pietas.

Imitatiōe Poloniæ barbari fidē accipiunt.

Hæretici blasphemi in parentes

etas,heu prisca fides,& inuicta bello dextera. quo vò bis,abierunt præcepta illa,quę in hac terra, quondã stare solebant? Honora patrem,& matrem tuam: vt sis longęuus super terram. Et illud: Qui maledixerit patri, & matri suę, morte moriatur. Deniq; illud: Interroga patres tuos, & dicent tibi: maiores tuos, & annunciabunt tibi. Vos verò, non tantum non interrogatis nos, vt ex lege annunciemus vobis bona: quę ipsi antiquitus ab alijs patribus tradita per manus acceperamus: sed tanq; sceleratos, ac sacrilegos æternis nos etiam deuouetis supplicijs? nec solos, sed genus christianum vniuersum: atq; adeò, ipsam sanctam Dei Ecclesiam Catholicam. A cuius consensu semel renati: nunq; recessimus: sed in eius gremio, vt viximus, ita etiam sepulti sumus. Par autem erat,non nos, à vobis: sed vos filios, à nobis patribus vestris iudicari. Quanto enim propius abfuimus ab illo primo Euangelij fatu: tanto exploratiora de Euangelio habuimus omnia: quàm habeatis vos: qui intra hos xiiij annos, in Polonia, nunc demum de Euangelio garrire cœpistis, quicquid in buccam venit. Et quoniam hæc impia fraus, non est in Euangelio,vobis per nos tradito, cuius præcipua pars est pietas in parentes, ex alio Euangelio hæc impia vos deriuastis omnia,quod ex Germania in Poloniam ad vos hæreticorum primus intulit Stancar: in quo sunt omnia sceleri propiora, quàm religioni. Quod sanè Euangelium Stancari, non est sacramẽ-

Veteres Poloni in fide constãtissimi.

Quotempore hæresis in Polõiã uenit.

Euangeliũ Stancari quale.

est sacramẽtum illud, quod manifestatum est in carne: iustificatum est in spiritu: quod apparuit angelis, prædicatum est gentibus: creditum est in mundo: assumptum est in gloria. Sed est hoc Stancari Euangeliũ laqueus ille: paratus vestris pedibus, quo vos Sathan captat: ac de ciuitate Dei vos illo in ciuitatem Diaboli trãsportat. Nam vicio deprauatę voluntatis, cùm degeneraſſetis à grauitate nostra: in hunc laqueum vltrò collum inseritis: vt obtorta gula, Sathanas sub tartara facilius det vos precipites. qui hoc ipso Euangelio Stancari nũc propinat vobis dulcia: vt ingerat amara: ostentat vobis violas, porrigit spinas: pollicetur panem, dat vobis scorpionem: promittit vitam, inculcat vobis mortem. Et, si conferendum exemplum est: vt Euangelium nostrum, quod ab initio in Polonia annunciatum fuerat nobis, vni fonti, in quatuor paradisi flumina erumpenti, assimilatur: ita Euangelium hoc Stancari, ex Germania ad vos importatum: ex vno patre diabolo erumpens, quatuor fluminibus, ab inferis manãtibus, simile est. Vni enim, Acheronti simile illud est: cruẽtat enim ob secessionem, & lacerat vos conscientia. Alteri Cocyto, contentione enim pleni estis. Tertio Stygi, torquet enim vos inuidia. Flegetonti quarto: ardetis enim libidine, quę vos ad omne facinus impellit. Et nisi resipiscitis, & nisi nos, patres vestros, respicitis, Euangelium hoc Germanicum, Stancaro duce, referet vos ad priscam il-

lam noſtram Macedonicam, atq; Illyricam vitam: vt pro Chriſto, Mars: pro Maria virgine, Læda, Iunonis pellex: Pogoda item, atq; Poguiſda, ſint vobis in Poloniam ab integro recipiendi. Tum etiam Mercuriales illę ſtatuę, omnibus triuñs erunt vobis reponendę: quandoquidem Chriſti, cruci ſuffixi ſimulachrum cõparere in triuio viatori fas apud vos non eſt. Etenim, ſi pudori chriſtianum nomẽ noſtrum vobis eſt: ſit ſanè honori, barbarum illud nomen: quo inter Macedonas, atq; Dalmatas, ſub domino diabolo, olim fuimus illuſtres. Etſi Eccleſiam catholicam non vultis habere matrem: ſit mater veſtra Cæthra, id eſt Macedonia. vt ita, cum noſtris veſtigiis in has cœleſtes ſedes penetrare vos pudet, hæreticorum veſtigiis, vt Luteri, vt Caluini, vt Bullingeri, vt Vergerij, vt Brencij, vt Stancari, vt Lyſmanini, vt Blandratę, vt Statorij Galli, penetretis in Acherontia tẽpla: alta orci, pallida leti, obnubila: obſita tenebris loca. vbi huius Germanici Euangelij, ac Stancarani dogmatis, cum impiis ſempiternas ſuſtineatis pœnas: veſtra voluntate ſuſceptas. vt iure, ac merito, cùm ex Euangelio Euangelizato nobis, haurire non vultis vitam: ex Stancari Euangelio hauriatis mortem: quod non eſt aliud, quàm Chimæra quædam, ex Græcorum poëtarum fabulis exorta. quę vulgo in Polonia Obłuda, patrio nomine, dicebatur. eſt enim hoc ſiue Stancaranum, ſiue Germanicum Euangelium: phan-

Obłuda

taſma quod-

taſma quoddam eiuſmodi: quale delirantium eſt ſomnium. Vt enim homines deliri, ſomnio beatos, atq; reges ſe eſſe arbitrantur: cum reuera miſeri ſint, atq; inglorij: ſic vos Germanico Euangelio, Stancarano'q; capti: in bonis vos eſſe arbitramini: cùm ſitis omnibus rebus miſerrimi. Sed ſi iam à nobis patribusq; veſtris alieni eſſe vultis, & ſi etiam patriũ animum, pietatem'q;, authore Stancaro, excutitis: agite, vt lubet: vos ſentietis poſterius. Sed tamen reddite nobis, quę noſtra ſunt, & quę tradita à nobis adhuc poſsidetis, vt baptiſmũ: vt nouam, & veterem legem: vt Concilia, decreta, patres, & cæterum Eccleſiaſticum inſtrumentum. Hæc enim ad Stancari Euangeliũ non pertinẽt: aliena ab illo ſunt, noſtri'q; ſunt Euangelij propria. Et quoniam Petrus Romanus ſacerdos ille ſummus, cum omni vi, poteſtate'q; ſua à vobis pellitur: ne regius quidem honos, magnis noſtris laboribus, cruentis'q; prælis, pro fide, atq; ſede Petri ſuſceptis: penes vos maneat. corruat cũ ſacerdote pariter in Polonia, thronus ipſe regius: infringatur Sceptrum: laceretur corona: conteratur gladius: Poſtremò, concidat regalis apex, atq; vertex: vt ita ſpreta atq; ex Polonia pulſa à vobis Pontificialis poteſtas: regalem quoq; poteſtatem, tanq; adminiſtram, atq; famulam ſuã, hinc ſecum abducat. Polonia hac veſtra, illis execrationibus Moſaicis obnoxia, derelicta: quę in deſertores Eccleſię catholicę illę ſunt execrationes acerbiſsimę.

Euangelium hæreticorũ Chimera eſt.

Hæreſis oia diuina & humana perdit.

DEVTERONOMII
XXVIII: CAP:

QVOD si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius: & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istę:& apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictę reliquię tuę. & maledictus fructus ventris tui,& fructus terrę tuę, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet dominus super te famē & esuriē, & increpationem in omnia opera tua,quę tu facies: donec conterat te,&perdat velociter,propter adinuentiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. Adiungat tibi dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam: Percutiat te dominus egestate, febri,& frigore, ardore,& estu,& aëre corrupto ac rubigine,& persequatur donec pereas. Sit cœlum, quod supra te est, æneum:& terra quā calcas,ferrea. Det dominus imbrem terrę tuę puluerem,& de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris. Tradat te dominus corruentem ante hostes tuos: & per vnā viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terrę. sitq; cadauer tuū in escam cunctis volatilibus cœli: & bestijs terrę:& nō sit qui abigat.

110

abigat. Percutiat te dominus hulcere Aegypti, & partem corporis, per quam ſtercora egerũtur. Scabie quoq; & prurigine, ita vt curari nequeas. Percutiat te dominus dementia & cœcitate: ac furore mẽtis, & palpes in meridie ſicut palpare ſolet cœcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Omniq; tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris violẽtia, nec habeas qui liberet te. Vxorem accipias, & alius dormiet cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Aſinus tuus rapiatur in conſpectu tuo, & non reddatur tibi. oues tuę dentur inimicis tuis, & non ſit qui te adiuuet. Filij tui, & filię tuę tradantur alteri populo videntibus oculis tuis: & deficientibus ad conſpectum eorum tota die: & non ſit fortitudo in manu tua. Fructus terrę tuę, & omnes labores tuos comedat populus quem ignoras, & ſis ſemper calumniam ſuſtinens: & oppreſſus cunctis diebus, obſtupens ad terrorem eorum quę videbunt oculi tui. Percutiat te dominus hulcere peſsimo in genibus, & in ſuris: ſanariq; non poſsis, à planta pedis, vſq; ad verticem tuum. Ducetq; te dominus & regem, quem conſtitues ſuper te, in gentem, quam ignoras tu, & patres tui: & ſeruies ibi dijs alienis, ligno, & lapidi. Et eris in ſtuporem in prouerbium, ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit dominus. Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis,

gregabis: quia locuſtę deuorabunt omnia. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vaſtabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & nō vngeris oleo. quia defluent, & deperibunt. Filios genera-bis, & filias, & non frueris eis. quoniam ducentur in captiuitatē. Omnes arbores tuas, & fruges terrę tuę, rubigo conſumet. Aduena, qui tecum verſatur in terra: aſcendet ſuper te, eritq; ſublimior: tu autem deſcendes, & eris inferior. Ipſe fœnerabit tibi: & tu nō fœnerabis ei. Ipſe erit in caput, & tu eris in caudam. & venient ſuper te omnes maledictiones iſtę. & perſequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audiſti vocem domini Dei tui, nec ſeruaſti mandata eius, & ceremonias, quas præcepit tibi. Et erunt in te ſigna, atq; prodigia, & in ſemine tuo vſq; in ſempiternum: eò quod non ſeruieris domino Deo tuo in gaudio, cordisq; lætitia, propter rerum omnium abundantiam. Seruies inimico tuo, quem immittet tibi dominus. in fame, & ſiti, & nuditate, & omni penuria. & ponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat. Adducet dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terrę finibus, in ſimilitudinē aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non poſsis: gentem procaciſsimam, quę non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli. & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terrę tuę: donec inte-

nec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum & greges ouium: donec te disperdat, & conterat in cunctis vrbibus tuis, & destruantur muri tui firmi, atq; sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua: quam dabit tibi dominus Deus tuus: & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarū: quas dederit tibi dominus Deus tuus, in angustia, & vastitate, qua opprimet te hostis tuus. Homo delicatus in te, & luxuriosus valde, inuidebit fratri suo, & vxori, quę cubat in sinu suo, ne det eis, de carnibus filiorū suorum, quas comedet: eo quod nihil aliud habeat, in obsidiōe, & penuria, qua vastauerint te inimici tui intra omnes portas tuas. Tenera mulier, & delicata, quę super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter molliciem, & teneritudinē nimiam, inuidebit viro suo: qui cubat in sinu eius, super filij, & filię carnibus, & illuuię secūdinarum: quę egrediuntur de medio feminum eius: & super liberis qui eadem hora nati sunt. comedēt enim eos clam, propter rerum omnium penuriā: in obsidione, & vastitate: qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. Nisi custodieris, & feceris omnia verba legis huius: quę scripta sunt in hoc volumine: & timueris nomē eius glorioſum & terribile, hoc est dominum Deum tuū: augebit dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas, & pse-

uerantes: infirmitates peſsimas: & perpetuas: & cõuertet in te omnes afflictiones Aegypti, quas timuiſti, & adherebũt tibi. Inſuper & vniuerſos languores, & plagas, quę non ſunt ſcripta in volumine legis huius, Inducet dominus ſuper te, donec te cõterat, & remanebitis pauci numero, qui prius eratis ſicut aſtra cœli, prę multitudine. qm̃ nõ audiſtis, vocem domini Dei veſtri. ſicut ante lætatus eſt dominus ſuper vos bene vobis faciens, vosq; multiplicãs: ſic lætabitur diſperdens vos, atq; ſubuertens: vt auferamini de terra, ad quã ingredimini poſsidendam. Diſperget te dominus in oẽs populos à ſummitate terrę, vſq; ad terminos eius. & ſeruies ibi dijs alienis, quos & tu ignoras: & patres tui lignis: & lapidibus. In gentibus quoq; illis non quieſces: neq; erit requies veſtigio pedis tui. dabit enim tibi dominus ibi, cor pauidum: & deficientes oculos: & animã conſumptã mœrore: & erit vita tua, quaſi pendens ante te. timebis nocte, & die: & non credes vitę tuę: mane dices, quis mihi det veſperũ? & veſpere, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis: & propter ea, quę videbis tuis oculis reducet te dominus claſsibus in Aegyptum, per viam, de qua dixi tibi, vt eam amplius ne videres, ibi venderis inimicis tuis in ſeruos, & ancillas, & non erit qui emat.

HABES SIGISMVNDE AVguſte Rex inclyte, à fideli ſubdito, Stancari ſectam: hoc eſt, Regum, & regnorum peſtem: nouo licet, vero tamen argumento tibi exhibitam. Nulla hic eſt venditatio ingenij, Auguſte Rex: nulla doctrinę oſtentatio: ſed pura fides, atq; charitas ardens illa, quę prophetat: futura præmonſtrat: ſalutaria nunciat. Quę quidem valere apud te debet, non verborum noſtrorum: ſed rerum ipſarum pondere. quarum illa ſit apud te ſumma. In rerum natura hæc tria eſſe inter ſe nexa, & iugata. Altare, Sacerdotẽ atq; Regem, hoc modo, atq; ordine: vt, ſaluis rebus regni, ſacerdos ſemper ſeruiat altari. Rex autem, ſemper miniſtret ſacerdoti. Quod ſi hæc in tuo regno contra, ac dico fiunt, regnum tuũ diſpereat neceſſe eſt. Nã, qui Rex, hæreticorũ ſuaſu, cum ſacerdote pugnat de loco, ac primas ante illũ petit, id vtiq; agit: vt ſacerdote amoto, altari ipſe ſeruiat: & vt poſtea ne in ſecũdis quidẽ neq; in tertijs conſiſtat: ſed tã ipſe Rex, q̃; omnes regni ipſius opes corruant. Deus autẽ omnipotẽs, qui glorioſum genus tuũ Iagellanũ, ad conſeruandam Sarmatiã, & vniuerſam Septẽtriõis vicinitatẽ delegit: dirigat vias tuas, in omni conſilio, opereq; tuo regio. teq; ad imitandũ cũctis regibus terrę proponat rebus geſtis, magnificũ: religionibus, glorioſum: pietate, illuſtrem: ſanctitate autẽ, imitabilem regẽ. vt

tuo conſpectu, reges ſtupeãt: imitatione tui, diſcant: exemplo autem de te ſumpto, regifice viuãt. Quod quidẽ præſtare dignetur nobis ſubiectis tibi, Rex ille regum, Chriſtus: Cuius regnum, & imperiũ ſine fine permanet.

AMEN.

IACOBVS GORSCIVS LECTORI NON INVIDO.

DVM FINEM OPERI IMPONIMVS: VLtimãq; pagnã cudimus: allatũ eſt nobis exemplũ Epiſtolæ optimi Principis, Portugalliæ Regis: ad Illuſtrem principem, Staniſlaum Hoſium Cardinalẽ Varmieñ: quod huic uolũini Orichouiano, appẽdere uoluimus, ut cognoſceret, quãta uis fuerit uirtutis ueræ, ac ſolidæ eruditionis et ſynceræ pietatis: quæ fama nominis ſui ignotos etiam in amorem ſui excitet. & noſtris hominibus ingenia illa, quibus cæteræ nationes florẽt, non deeſſe: neq; Polonos adeo obtuſa pectora geſtare: ut magnarum ſcientiarum capaces non ſint: quod plerumq; falſo de nobis perſuadetur. Equidem Polonia, ut aliarum rerum ita ingeniorum feraciſſima ſemper fuit. quod cum aliorum temporum, tum uero huius tempeſtatis noſtrorum hominum, teſtantur ſcripta ea: quæ ingenioſæ nationes, ſummi & ſapientiſſimi reges, non probant modo: ſed etiam mirantur complectuntur, & ſummis præmijs honorum exornant. quo eodem iudicio: ſi hæc patria de ſua prole uteretur: ac ſua commoda agnoſceret: profecto & ingenijs & ſumma eruditione abundaret. præmia ingenij, præmia ſtudiorum Polonis, non ingenij uis & copia deeſt. Pœnitet in ea Repub: laboris: in qua, ignauiæ ampliſſima merces, induſtriæ nulla oſtentatur. Sed quid hæc ingrata nequicquam reuoluimus: tu lector uide quid hominibus noſtris nationes ingenioſæ tribuant: quanti eorum ingenia eſtiment: quæ de eis iudicia faciant: quibusq; honoribus ea exorneut. nobis nihil minus quam noſtra placent: extera miramur, noſtra abijcimus. Vale.

Qui ſuæ uirtuti confidit, alienæ non inuidet.

D: SEBASTIANVS DEI gratia Portugallię Algarbiorumq; Rex, in Affrica dominus. Guineę, Nauigationis, Expeditionis, Commenij, Aethiopię, Arabię, Perſidis & Indię. Rmo in Chriſto patri,& vt fratri chariſsimo Staniſlao Hoſio, Cardinali Varmienſi, in Sacroſancta Synodo Tridentina Pontificio Legato S. D.

NOTVM mihi antea fuerat tuũ nomẽ: ex tuis, aduerſus veteris catholicęq; diſciplinę deprauatores lucubratiõibus: quarũ eruditionẽ, candorẽ, elegantiã, & ſyncerã inprimis pietatẽ audiebã & eruditorũ ſermonibus, & piorũ ſuffragijs admodũ cõmendari. Videbam ferueſ illud tuum, in aſſerenda Chriſtianę Religionis integritate ſtudium: et abſentem licet, facieq; ignotum, amabam te plurimum. Cum verò Legati mei Romę apud ſummum Pontificem agentis, literis factus ſum certior: te in ſacrum Illuſtriſsimorum Cardinalium Collegium fuiſſe cooptatum: & vltro tibi, à Sanctiſsimo Pontifice delatũ ſacrę purpurę honorem: quem tu quidem pro tua modeſtia minime fortaſſe expectabas: ſed tua virtus, & ſuſceptorum pro Catholica religione, in Polonię florentiſsimo Regno laborum, aſsiduitas conſtantiaq;, iamdudum tibi debitum, teſtabatur: mirifica ſanè voluptate ſum affectus, & Chriſtianę reip: ſum gratulatus: ad cuius adminiſtrandę curam, nouę iſtius, ab optimo Pontifice oblatę dignitatis, ornamento, vocabaris. Vbi vero Collegam te additum cæteris in

cæteris in Sacrosancto Concilio Legatis Pontificijs cognoui: non potui non admirari Sanctissimi Pontificis singularem sapientiam: qui ne quid sacri Concilij splendori deesse videretur: te illi cum cæteris legatis præfecit, qui cum omnibus sint virtutibus cumulati & in administranda repub: diu multumq; versati, te tamẽ socio atq; adiutore libentissimè vtẽtur. Neq; verò dubito: quin cùm tu me tui adeò studiosum intellexeris, & meũ legatum & nostrorum Regnorum Antistites, etiamsi eos tibi ipse minimè commendassem, fueris omni officiorum genere ornaturus: quod vt (interposita mea commendatione) facias cumulatius à te amanter peto. Reuerendissime in Christo pater, quem vt fratrem charissimũ habeo, Christus Iesus te Ecclesię suę diu sospitem & incolumem seruet. Olyssipone iij, Calen. Octobris. Anno M. D. LXI.

ERRATA.

prior numerus folium, alter paginam, tertius lineam indicat.

9. 2. 20. profugisti. 31. 1. 25. redigit. 34. 1. 4. perduelem. 40. 2. 2. quoquo versus. 41. 2. 22. intelligit nostrum. & 26. fratre. 45. 1. 6. nobilissimis. 47. 2. 8. rogent: edicta conscribant, 49. 2. 18. catholica. 52. 2. 17. est, quæ. 63. 2. animaduerte. 73. 1. 20. turbatis. 80. 1, 6. Martione. 89. 1. 22. visi. 92. 1, 11. demonstrabant. 93. 2. 23. Iunium. 94. 2, 13. volebant. 96. 1, 9. minitantem.

Bibl. Jag.

RERVM MEMORABILIVM IN HOC LIBRO INDEX.

A

Abiatharis exemplum falso profert Stancarus. fol: 42.
Abiatharis exemplū docet, quod sit munus regium. 43.
Academia Cracouien: quibus disciplinis potissimū floret. 21.
Agrestium tumultus in Germania. 48.
Apostolorum doctrina. 91.
Ariana hæresis negat Deū. 10.
Aries Danielis metuendus cornu Polono regi. 74.
Archiepiscopus Gnesnēsis in Polonia libertatis custos. 37.
Archiepiscopus exauthorat, excōmunicat, & iudicat regē. 35. 36
Archiepiscopi Gnesnēsis summa autoritas. 34. 37.
Archiepiscopi & Episcopi in Polonia cur viluerint. 38.
Archiepiscopi & Episcopi Poloniæ moderni. 39. 40.
Archiepiscopo sublato tollitur etiam rex. 28. & libertas regni. 33.
Augusti nomen vnde? 87.

B

Boemica hæresis à Simone Mago orta. 78. 79.
Vt Boemia olim, ita Polonia peribit sectis. 48.
Bucouina strages. 93.

C

Canonum à Stancaro editorum summa. 16.
Canonū Stancari medulla. 27.
Cardinalium nomen vnde? 45.
Catholica fides in Græcia primū floruit. 51.
Causę libri scripti. 3.
Cazimiri regis Polonię pietas. 80
Charitatem qui habet omnia habet. 5.
Chimærę descriptio 2. 53.
Christus vbiq; est. 13.
Christus rex coronatus: 29.
Ciuitatum amplitudinē duo faciunt. 68.
Comitia & Concilia differūt. 85.
Concilium arbori simile. 25.
Concilium Tridentinum 7. 75.
Concilium prouinciale Polonicum. 75.
Concilium nacionale perniciosum. 76.
Cōcilia Oecumenica Stācar probat, quomodo? 24. 25.
Concilia cōtra hæreses facta. 92.
Conciliorum summa fides. 25.
In conciliis autoritas omnis penes Episcopos est. 76.
Confœderatio omnium ordinū Polonię contra regnicolas inobedientes & hæreticos etc. 96.
Constantini Magni erga Episcopos reuerentia. 41.
Coronatio regis Pol: ad Archiepiscopū Gnesneñ. ptinet. 28. 33.
Coronatio regis quomodo peragitur. 55. & deinceps.

In coronationis iuramento duo regibus proponuntur. 31.
Corpus Christi communicatur cum rege. 66.
Crucis signũ hæretici horrẽt. 98.

D

Descriptio ab Augusto Cæsare facta explicatur. 68.
Diaboli regnum ex hæresibus cõstat. 54.
Dialectica Stancari qualis. 22. 24.
Dij Polonorum olim. 88.
Doctores ecclesię. 92.
Doctorũ consensus lex vitę. 92.
Dominica dies Polonis Nedela dicta, cur? 94.

E

Ecclesia & Papatus idem. 71.
In ecclesia vera omnes vnum dicunt. 6.
Ecclesię de Mediatore sentẽtia. 12
Ecclesiarũ Polonicarũ dotes. 94.
Ecclesiarũ bona in Polonia multis in locis direpta. 20.
Electionum sublatarum culpa penes reges. 38.
Episcopus regem repellit ab ærario. 37.
Episcopi nunquam regibus subiecti. 41.
Episcopi primi in Polonia. 90.
Episcoporum in Polonia authoritas magna. 19.
Episcopatus in Pol: ditissimi. 95.
Euangelium hęreticorum quale. 98. 101.
Euangelium Stancari quale. 99.
Euangelistę Stancari, qui. 11.
Euangelicorũ nomen nouũ. 97.
Exemplum horribile contemptę sacerdotum. 45.

F

Fides Romana. 67.
Fides Petri pẽnis in vrbe sola. 69.
Fides in Christum quę. 89.
Fides absq; operibus mortua. 91.
Fides formata. ibidẽ.
Fidei Romanę constantia vñ. 69.
Fucus Stancari. 22.

G

Galea insignis. 63.
Germanię Boemiæ & Angliæ calamitas. 48. 64.
Gladius hæreticorum perniciosus. 17. 62.
Græcia fabulosa. 51.
Græciæ interitus. 71.
Gymnasia ædificare opus regium est. 20.
Gymnasiũ Cracouiense à VVladislao Iagellone conditum. 21.

H

Hæreses viperis similes. 50.
Hæreses è fabulis ortæ. 51.
Hæresis definitio. 79.
Hæresis est fabula. 51.
Hæresis pœna peccati. 52.
Hæresis finis, fallere. 53.
Hæresis pestis & labefactatio regnorum. 63.
Hæresis dira lues. 74. eneruat Politiam 78. crimen maiestatis læsæ. Ibidem. Semper speciem pietatis præ se fert. 52.
Hæresis è scriptura male intellecta. 54.
Hæresis omnia Diuina & humana perdit. 101.
Hæresis quo tempore in Poloniam venit. 99.
Hæretici hominis definitio. 26.

Hæretici ad periuriũ reges hortantur. 57.
Hæretici iure tollendi. 58.
Hære: aſsidui in Petrũ hoſtes. 70.
Hæretici blaſphemi in parẽtes. 99
Hęretici ius ſpiritualiũ violãt. 84
Hæretici in Polonia commutant Euangelium vetus nouo. 97.
Hæreticorum licentia pereunt regna. 18.
Hæreticorũ ſpiritus qualis. 25.
Hæreticorum mos in citãdis ſcripturis. 25. 43.
Hæreticorũ intentio. 47. 54.
Hæreticorũ preſcriptio. 78. eorũ progenies infamis. Ibidem.

I

Iagellana gens religioſiſsima. 77.
Iagello Apoſtolus. Ibidem.
Iagellani Confeſſores. Ibidem.
Ieſus nomẽ, Dei nomẽ eſt. 13.
Imagines & earum vſus. 94.
Imago Stancaranę ſectæ. 49.
In Idololatriæ locũ ſucceſsit hæreſis. 54.
Iniuſtitiæ proprium. 26.
Interdictũ de iuuãdis Boemis: 78.
Iudæi hæretici: 54.
Iudicium Dei horrendum manet reges. 87.
Ius ſecularis & Spiritualis partis quod? 83.
Ioãnes Comes in Tarnovv pitia rei militaris clariſsimꝰ etc. 96.
Iuſtitia quid? 65.
Iuſtificamur gratis. 89.

L

Lapis angularis in Pol: qui? 83.
Ludouicus rex Vngariæ ad Mohatium perit: 77: 95.
Luminaribus duobus duæ poteſtates ſimiles; 61.
Liberum arbitrium: 89.
Lutherana hæreſis de vena extincta: 50.
Lutherana hæreſis author omnis calamitatis: 48.
Lutheranorũ libri per Sigiſmũdum regẽ Pol: proſcribunt: 81.

M

Magiſtratus negligentia pernicioſa: 16.
Miſſa cum titulo cõmutatur: 9.
Miſſa quid? 93.
Metropolitanus vir chriſti eſt 56.
Myſteriorum tempora: 93.

N

Nobiles exequat regi Stãcar: 18.
Nouus orbis: 68.

O

Occidens conuellitur ſectis: 72.
Officium boni regis, nota: 81.
Orator qualis eſſe debeat: 26.
Ordo quid? 93.
Ordinis accidentia Ibidem.
Contra ordinem nil recti fit: 85.
Operum diſcrimen: 91.
Quæ opera iuſtificant: Ibidẽ.
Opus ſuum Deus in nobis coronat: Ibidem
Orichouij natio. 6.
Orichouij de Mediatore ſententia. 12.
Oſculum ſacerdotis: 32.
Oſcula pedum pont: max. quid ſignent: 32.

P

Papa vnde dictus: 6. 45.
Papatus ſalutaris res 8.
Papatus ſanctiſsimũ nomen: 75.
Papatus à Conciliis cohoneſtatus: 24.

Papæ autoritas: 7.
In Papatu solo lux. 9.
Papistarum nomen. 70.
Cum Papatu ecclesia perit: 75.
Petrus cur osculum pedum recusauit. 32.
Petrus liber â tributis: 44.
Petri summa potestas nulli subiecta. 43
Petri stater in perpetuum liberauit clerum â tributis: 84.
Pinczouiensis familiæ laus: 15.
Pinczouienses conuincuntur Arianismi. 15.
Pius iiij Pont. max: Concilium Tridenti indixit, 7.
Pœna in hæreticos: in Impressores librorũ & bibliopolas 81.
Plato pellit poetas ciuitate sua 51
Poloni veteres in fide constantissimi, 99.
Poloni præposteri, 85.
Polonia quo tempore fidem accepit 89.
Polonia firmissima in catholica fide, 82.
Polonia hæresibus infesta 96.
Polonia sola propugnat pro Petri sede assiduè 95.
Polonia quomodo pacãda 75.
Polonia qua malitia perit 84.
In Polonia regalis potestas per hæreticos euanescit 48.
In Polonia solus Rex gladium portat 18.
Poloniæ nomen vnde? 88.
Poloniæ Rex, regũ exemplũ: 55.
Poloniæ veteris pietas 99.
Poloniæ imitatione barbari fidẽ accipiunt 99.
Poloniæ periculum ex sectis 49.
Poloniæ regnũ trium dierũ 74.
Polonorum origo 88.
Polonorũ sermo Græcus Ibidẽ.
Polonorum Apostoli primi 90.
Polonorũ consensus in fide 87.
concordia, bella, fines 95.
Clades ad Varnam 96.
ad Bucouinam 93.
Polonorum reges cur obstabant hæresibus 86.
Polonorum ritus in audiendo Euangelio olim 95:
Polonorum veterum ad posteros oratio 88.
Põtificalis autoritas magna 40.
Pontifex Romanus imperiũ abrogauit Græcis 45.
Pontifices è Polonia per Stancarum tolluntur 18. 23.
Inter potestates ordo qui 59.
Potestas spiritualis princeps 59.
De sublimioribus potestatibus quæstio 58.

R

REligio sola retinet in officio homines 81.
Religionibus præesse opus pontificium 27.
Res non verba spectanda 22.
Rex Christus est 58.
Rex Christi typum gerit Ibidẽ.
Rex in Polonia absq; Archiepiscopo non est 33.
Rex supplex sacerdoti 56.
Rex perit â sacerdote segregatus 65.
Rex manus sacerdotis est 66.
Rex custos altaris 62. ad Christum pertinet: Ibidem
Rex Polo: nititur iuramento 84.
Regia maiestas ex Polonia per Stancarum tollitur 46.

Regis autoritas apud Polonos magna 18.
Regis coronatio ad Archiepiscopum Gnesnensem pertinet: 29.
Regis creatio qualis 59.
Regi notanda tria 65.
Reges quare coronantur 29.
Reges christiani differunt à Paganorum regibus 29.
Reges episcoporum ministri 42.
Reges absq; sacerdote nihil sunt, 44. 65.
Reges creantur ad fugandas hæreses, 54. 55.
Regalis celsitatis finis 56 67.
Regium officium, 64.
Regum instituendorum causa, 54, 60:
Roma oraculum orbis 69.
Romę vrbis presens ãplitudo 68.
Romano Imperio omnes christiani reges comprehendũtur 67.
Romanum Imperium Euangelio destinatum. 69.

S

Sacerdos cũ rege cõparatur: 66.
Sacerdos quãtũ præstat regi, 60.
Sacerdos omnibus rebus superior. 61.
Sacerdotis creatio qualis 59.
Sacerdotes semper præstantiores regibus, 41: 44.
Sacerdotes veri à Petri sede 39.
Sacerdotum Priuilegia 84.
Cũ sacerdote stat & cadit rex: 72.
In sacerdotibus communis violatur libertas 20.
Sacramenta Ecclesiæ 92.
Sanctorum feriæ 94.
Sbigneus Episcop⁹ Cracouien rege repellit ab ærario 37.
Scientia inflat, 98.
Scientia spem excludit Ibidẽ.
Scripturarũ intellectus vnde 92.
Sectarũ finis, euertere regna 73.
Sectarum autores regno pellendi. 74.
Sectæ Stancari & aliarum discrimen. 1.
Sedes Dauid, 65.
Septenarius numerus 93.
Septimanæ mysterium 94.
Sigismundus primus, Rex Poloniæ religiosissimus 77.
Sigismundus Gedanenses propter violatam religionẽ gladio percussit. 80.
Sigismũdus Imperator à Ziska regno Boem: Pulsus 48. 80.
Sigismundi edictum in hæreticos: 81.
Sigismundi Augusti regis iuramentum, 82.
Sigismũdi Augusti regis laus 86.
Stanislai Episcopi sancti mors 37.
Stancar ecclesię hostis, Contumelioſus in Orichouiũ: Asinus 5. Patria pulsus 1.2.6. ex eccl'ia 9. hostis Papatus, 8.
Hæreticis inuisus 10. calumniator, Arianus, Nestorianus 11.
Stancar Cracouiæ docet 14. capitur, 15. Pinczouio Pellitur 16. Dubeciũ ꝑfugit 17: legislator Maiestatis reus, 17: 34.
Stancar scholam in Polonia condit 20. cœcus in dialecticis 23.
Orator qualis 26. tyrannidem in Poloniam inducit 28. primus in Poloniam intulit Arianismum. 14.
Stancar Archiepiscopum oppu-

gnat curæ 40. abutitur mansuetudini Poloni regis 45.
Anabaptista, funestus 50. 52.
honorem regium cõuellit. 63.
per sacerdotes regem petit. 63.
Ordinationi Dei resistit. 62.
cœnas aliorum damnat, suam extollit 49. psitacus in scriptura. 41.
Stancari hæresis nocentissima, fugienda, 1. 64.
Stancari vxor 4. veritas 8.
Stancari cœna 9. 49.
furor 19. paralogismus. 23.
Stancari Sophismata contra sacramentũ altaris, 24. fucus 22.
Stancaranæ sectæ imago. 49.

T

Theologia vera quæ. 21.
Theologia Stancari qualis 21.
Traditiones. 91.
Tyrannidis origo. 31.
Tyrannos nũquam experta Polonia. 28.
Tyrannorum dominatus qualis. 30.

V

Vandali à Vandalo flumine 88.
Venceslai Regis Boem. ignauia regnum Boemiæ hæreticorum incendio conflagrauit: 48.
VVladislaus Iagello cur ad regnũ Poloniæ vocatus. 96.
VVladislaus Iagello verꝰ rex 80
VVladislai Iagellonis decretum contra hæreticos. 78.
VVladislaus rex Polonię & Vngariæ, Martyr. 77.
Vnctio regis & Pontificum diuersa. 31.

Z

Ziska regnum Boemiæ diripuit, afflixit, &cæt. 48.

FINIS INDICIS.

AD LECTOREM:

MATHIAS PLOCENSIS.

SI te dogma iuuat verum, si mente quieta
Esse cupis, verses hæc pia scripta manu.
Detegit autor enim fraudes, quas Stancarus ore
Clamoso spargens, scindit ouile dei.
Castigatq; etiam magnorum Orichouius acri
Annosas Regum spe dolore moras.
Esse sacerdotis perdignum munus honore
Affirmat summo: Christus vt ipse docet.
Hic vero spretus nunc est honor, attamen æquus
Tutari hunc vita, quisq; paratus erit.
Qualis hic est præsens autor, qui dogmata sternit
Hæreseos: illum vincere nemo potest.
Stancare terga dabis, quondã vt Catilina malignus,
Eloquio victus qui Ciceronis erat.
Eloquio, pietate viri, sic vinceris huius,
Qui modo te contra fortia tela iacit.
Est igitur nobis Orichouius iste sequendus,
Instituens scriptis pectora nostra pijs.

BIBLIOTH: UNIW
JAGELLONICAE

Biblioteka Jagiellońska
stdr0041724

Orzechowski

CHIMAERA

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE